Rndo Patri in Christo, Patri Carolo Sawicki Soc: JESU
Rectori Collegii, Cracoviae ad S: Petrum.

TRACTATUS THEOLOGICUS DE JUDICIO UNIVERSALI

Nec Non

De Signis ac Rebus proximè antecedentibus

JUDICIUM.

Item de Rebus illud consequentibus.

Tractatus hic complectitur quinque Disputationes.

In 1ma agitur, An, Ubi, & Quando futurum Judicium Universale?

In 2da. De Signis & Rebus proximè antecedentibus Resurrectionem Mortuorum & Judicium.

In 3tia. De ipsa Resurrectione.

In 4ta. De Adventu Judicis & Forma Judicii, ejusq; fine.

In 5ta. De statu Mundi, ac futura ejus Conditione Post Judicium Universale finitum.

AUCTORE

R. P. Georgio Gengell Societatis JESU Theologo.

CALISSII

Typis Collegii S. R. M. Societatis JESU. Annô 1727.

Sive comedo, sive oro, sive aliquid aliud ago, semper mihi insonat tremenda illa Tuba obmurmurans. Surgite mortui, venite ad Judicium.

S. Hieronymus.

PERILLUSTRI REVERENDISSIMO DOMINO
D. MATHIÆ
De Chełmica
CHEŁMICKI

PRIMICERIO Cathedrali Posnaniensi, Insignis Collegiatæ Calissiensis DECANO, PRÆPOSITO Kozminensi, COMMISSARIO GENERALI Episcopatûs Posnaniensîs.

DOMINO & MECÆNATI FAVENTISSIMO.

I*Vdicium Vniversale quo evincam Argumentorum nexu, Rationum probem nodô indissolubili, & mortalium vinciam animos*, Tua Fascia, *adamantina suppeditat vincula*, Perillustris Reverendissime Domine. *Desumit ingenium* Tractatus Theologicus *à Theologo*, *aureum eruditionis circulum à Philosopho, à Tua Svada impetum, fidem populo ab in-*

taminato Tuæ vitæ candore. Etiam capaciorem inſcrutabilium arcanorum DEI Judicis, reddet innumeram Gentium multitudinem avita Faſcia, *diſperſæ per plures gloriæ capaciſſima. Quam ideo Honor & Fortuna in ſimulacrum Sphæræ compegit, ut omne ingenium ad omnis nexum decoris in ſe tanquam in honorum centro ſituandi, colligeret, & quæ aliis felicitas munera exdiviſit, Tu in* Faſcia *collecta teneas, qua enim univerſam comprehendas laudem, facit illa amplitudinem. Nec Orbe integro honorumq; vaſtitate exhauritur, polis etiam ſe cõéxtendit, Idem eſt Polono Orbi Tuum Inſigne, quod Cœlo Zodiacus, utrumq; vera cœli* Faſciâ *id eſt Tuæ Domûs zodiacum cingit, facit, decorat, & Poli & Poloniæ, quod Tuis dotibus, tanquam ſideribus exornetur. Diſtinguis Illum Virtutibus, meritis & honoribûs, ceu aſtris, & ut Sol decurris illud tangendo meridiani ſplendoris punctum, ſupra quod nec Titan facilè aſcendet. Ipſis nimirum univerſa vitæ Tuæ ornamenta notamus aſtrîs, conſignamus ſtellis, quia in Te nihil reperitur, quod non ſit illuſtris vitæ radius, qui cœlum in ſe reciprocat. Aſtrææ Polonæ in Te Illuſtriſſimo Judice ad Tribunal Regni Deputato Zodiacum intuliſti, tot fulgentem ſideribus, quot præcellentibûs dotibûs. Nonne in Tua Juſtitia, cæleſtis reſplenduit Libra? quælibet vox ponderoſum fuerat Oraculum. Quodvis cauſarum meritum vel demeritum, ſic ad ſuum deduxiſti æquilibrium, ut Tuæ Juſtitiæ ac prudentiæ niſi illud attingeres quod Orbe Polono integro expendi mereretur, potuerit aſſignari. Iterum Judex Surrogatus Cathedralis Poſnanienſis, Spiritualium Judiciorum fuiſti Anima, omnis æquitatis domicilium. Quem ut parem ob agilitatem judicii, ve-*

locitatem

locitatem ingenii, curiæ æquitatē cœlestibus ostendam Geniis, iterum cælesti opus est Libra. Nihil terræ Tibi adhæsit quod te corrumperet, totus Mens, totus Intelligentia, totus cœlesti coalitus materia. Visitur & Leonis signum in insigni Fortitudine Tua, quâ tot ardua superasti negotia, ut Alpes Annibal. Cancellarius Curiæ Illustrissimi JOANNIS TARŁO *Episcopi Posnaniensis, quot verba tot depromis astra, singulæ periodi, Cœlorum in se sphæras videntur attraxisse, quas ipsa styli venustas, sententiarum compsit gravitas, ac elegantia facundiæ exhibuit. Labores indefesso animati robore, astrum tauri Tibi faciunt, spectatores tot habent, quot cœlum videntur continui cœlorum motus, cum Tu videris. Turres illæ Basilicæ Cathedralis Posnaniensis quibus ingenium, artem, & manum addidisti, sideribus Nomen Tuum inferunt, suoq; ostendunt Vertice, Te, ut sublimia præmisisti laborum merita, ita summis propinquum esse honoribus. Memoremne? qua solicitudine, qua industriâ, quam erudito sudore Posnaniensium Antistitum Fortunam hæreditariam injuriâ temporum vastatam, ad illam reduxisti amussim, ad quam vix aurea felicitas reduceret, si hæc Christi Patrimonia sub sua haberet ditione. Sidus etiam cælestis Arietis Cor Tuum possidet, veriùs innocens* JOANNIS AGNUS, *integer in Tuo spectatur Corde* Jllustrissimus JOANNES TARLO Episcopus Posnaniensis *& Tu in illius spectaris. Mereris* Jllustrissimi Antistitis *de Ecclesia optimè meriti Cor & gratiam, cui nulla placere indoles potest, nisi sit Tua, nullum ingenium nisi æquet dignitatum fastigia. Etiam primos* Jllustrissimorum SAPIEHARUM; *quorum capiendæ Majestati unus non sufficit*

 Orbis

Orbis, amores avito complecteris Orbe. Nec jam amari potes nisi à Maximis Orbis Poloni Nominibus, nec æstimari nisi à Gemmis Lechiæ. Vide jam Perillustris Reverendissime Domine *quàm vasta sit Tua* Fascia, *quæ in tantis Nominibus Orbem Tibi facit obligatum, & quantum adhuc in Tuis meritis, fama, dotibus Prosapiæ decoribus, Aviti nexus ampliantur. Ita ad vitam protulisti Caput, ut promeres ad vittas, simul Te obligabat Lucina* Fasciis *& Honor fascibus cùm Pallas ablactabat. In Avito insigni Tuo simul Tibi felicitas orbitam; Minerva, Doctorum annulos, Saturnus æternum gloriæ tempus innodavit, ut perennes felicissimus. Dispersas per singulos legimus naturæ dotes, quod uni dederunt Numina, alteri subtraxerunt, aut naturæ injuriam alio munere compēsàrunt;* Tua Fascia *ut omnis ingenii ita bonorum est collectanea & collactanea, compendium famæ, Epitomen gloriæ, Eruditorum Ilias. Explicat se hæc cœli* Fascia *in Aquinatici solis radios, quo Tua calet mens, & in Te Divinam coronat scientiam. Cingit doctam Aristotelis Academum, & circulus est immortalis in Te scientiæ, aut Doctorali dignatur annuló Te Gemmam inserendo, aut se in baltheum format ad Heroem scientiarum exornandum. In Sacris Exedris Orator Sacer, ita nectis verba ut devincias populum: sic insigni svades virtutem facundia, ut persvadeas, sic auribûs loqueris, ut cor apprehendas. Denuo se flectit Stemma* Tuum *in Tullii laureas, quæ* Tuum *redimiant Verticem: nullam periodum sine Laurea permittis currere; nullam vocem, quæ non debeat adamante notari. Gestit & Pöësis se esse ligatam Tuo Nexu, applaudit & Honor quòd in Te habeat omnia ad vittas Antistitum composita; speramus*

tamus omnes Tuam T*æniam in infulata se explicaturam elogia; quæ tot merita & virtutes expostulant. Si adhuc Tuæ Prosapiæ nexum evolvo, immensa pandit se Familiarum colligatio Primo vitæ Tuæ vinculo Magni Natales* Fasciam *illigârunt, seu* Te *aureum Fortunæ manipulum Cidari coronarunt: & vix spem in herba, jam uberrimam Sanctimoniæ dignitatum & meritorum messem* RADOLINSCIORUM *Acervo, ex quibus* Perillustrem *sortitus es Matrem asservârunt. Quàm sumptuosa extenditur catena Familiæ in* Jllustrissimo Josepho de Radolin Radolinski Succamerario Vschovensi, *qui dum aliis ponit limites, dignitatis suæ & pretii vix potest invenire, illi enim amplissimè extenduntur. Debent Fortunam suam Tuæ Tæniæ Fortunatissima Nomina* Ulatowsciorum, Wałdowsciorum, Naramowsciorum, Korywscyorum, & *Sexcentorum, quòd illa* Tuæ *coronæ, ut prima Mundi pretia innexueris & quòd Tua* Fascia *Caput* Tuum *Magnæ mentis Augustal, sublimium cogitationum officinam a teneris fovebat, vinciebat, cui nunc multorum felicitas, tanquam Atlanti cœlum insidet. Quàm pulchrè Nomen* Tuum *& in* Peril. PAULO CHEŁMICCIO Subjudice Dobrzynēsi *extenditur. Hic non integer obiit, cùm maximam sui partem in immortali fama & ignitissimo pro Orthodoxa fide zelo, reliquerit. Ferocem ille Thorunensium audaciam & audacem ferociam sæpiùs in Catholicos explosam, quæ jam accensi cordis motibus rapiebatur, jam agebatur furiis, ardebat æstibus contra Eucharistici processionalem cultum Numinis, fingeres Ætnam, friget illa iracundis comparata pectoribus. Jam Sacrorum Præsides vexilla sacra, devotam Catholicorum plebem opplere saxis, sepelire*

cœno

cœno conabatur, tanquam alter Hercules hydram perterruit, domuit, & contrivit. In Perillustri ANTONIO CHEŁMICKI Vexillifero Terræ Dobrzynensis, *Legato ad Comitia Grodnensia habes Cyneæ Svadam amplissimam & eruditam, Catonis oracula: in triumphali labaro Scipionis, virtutem bellicam. Videntur togâ & sagô insignita sexcenta* CHEŁMICCIORUM Nomina, *quæ Senatum eloquentiæ vi, Comitia consiliîs, Curiam æquitate, Vrbes libertate, forum legibûs, Poloniam famâ, Palatinatus variis muneribûs ampliârunt. Dobrzynensis Terra illorum gloriæ & felicitatis nidus est, & illi nido huic Polonæ Aquilæ educati ad Solis radios & honorum lumina. Demum in uno Patrii Stemmatis nexu in* Tholibowsciis, Karsciis, Kadzidłowsciis, Rościszewsciis, *& millenis colligatam accipe pompam decorum &* Tui *Encomii adoream. Admitte insuper inter Domus* T*uæ splendores Lucubrationem hanc, clariùs Soli publico exponetur, si illi* Tuum *Nomen affulserit ut meridies derivabit Liber hic ab Avitis* T*uæ Domus nexibus Argumentorum nodum pro infallibilitate supremi Judicii etiam Alexandri gladiô insuperabilem.* T*uô ingeniô appretiabitur,* T*uæ famæ classicô bene audiet,* T*uâ commendabit se facundiâ, dignitate decorabitur. Et quoscunq; Patria cumulabit* Fascia *Honorum fasces, his involvetur. : Quos primos & summos in Polonia, Voveo.*

PRILLUSTRI REVERENDISSIMO

&

MUNIFICENTISSIMO NOMINI TUO

Devinctissimus Servus
Georgius Gengell
Societatis JESU.

APPROBATIO

LIbrum cui Titulus: *Tractatus Theologicus de Judicio Universali &c.* per Admodum Reverendum Patrem Georgium Gengell Soc: JESU celeberrimum Theologiæ Sholasticæ & consummatum Professorem, summô studiô, profunda lucubratione multorum doctissimorum Voluminum typô jam antea impressorum eximium Auctorem, quoniam Sanctæ Fidei Orthodoxæ & bonis moribus non adversatur, quinimò augmentum Gloriæ DEI continet, & saluti Animarum prospicit: ideo Auctoritate mihi à Celsissimo Excellentissimo & Reverendissimo Domino THEODORO POTOCKI, Archiepiscopo Gnesnensi, Legato Nato, Regni Poloniæ & Magnì Ducatus Lithvaniæ Primate, Primoq; Principe, concessa, dignum luce publica judico & imprimendi facultatem concedo. Datum Calissii, 31 Martii. Annô 1727.

JOANNES GAŁCZYNSKI
Canonicus Gnesnensis, Archidiaconus & Officialis Calissiensis.

FACULTAS

R. P. Præpositi Provincialis Soc. JESU per Poloniam.

Cùm Opus, quod inscribitur: *Tractatus Theologicus de Judicio Universali &c.* Auctore Patre Georgio Gengell Societatis JESU Theologo, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestate mihi facta ab A. R. P. Nostro MICHAELE ANGELO TAMBURINO Societatis Nostræ Præposito Generali, facultatem concedo, ut Typis mandetur, si iis ad quos pertinet, ita videbitur. In cujus fidem has literas manu mea firmatas & sigillô munitas dedi Lublini 22. Februarii, Annô 1727.

MARTINUS TRAMPCZYNSKI
Societatis JESU.

PROLO-

PROLOGUS

ANnô 1725. conſcripſi & impreſſi Diſſertationem de Judicio Particulari, continentem Quæſtiones XVIII. in quibus, (præter multa alia) aſſerui, & ſufficienter probavi hæc. *Antea impreſſa de Judicio Particulari Diſſertatio.*

1. Certiſſimum eſt, dari Judicium Particulare in quo Animæ Hominum ſtatim à morte judicantur. Unde & S. Auguſtinus Tomô 7mô, lib. 2. de Anima & ejus Origine cap. 4. dicit. *Illud rectiſſimè, & valde ſalubriter creditur: Judicari Animas, cùm de Corporibus exierint, antequam veniant ad illud Judicium, quô eas oportet, jam redditis Corporibûs, judicari.* hæc S. Auguſtinus, Magnus Eccleſiæ Doctor, quem ipſemet Calvinus lib. 4. Inſtitutionum cap. 14. aſſerit eſſe. *Optimum tota Antiquitate & fideliſſimùm Teſtem.* Lutherus verò in Colloquiis ſuis Menſalibus, Titulô *de Patribus.* ait: *Augûſtinus, præ omnibus Doctoribûs, inſignis eſt, & omni laude dignus.* *In illa quidnam fuit tractatum?*

2. Aſſerui & ibidem probavi, quòd Ipſemet Chriſtus D. agit Judicem in illo Judicio; Non S. Michàël, vel Angelus Cuſtos. Jam verò hæc Poteſtas Judiciaria data eſt Chriſto, ab initio Incarnationis, ſicut & Regia Poteſtas & alia omnis Poteſtas Excellentiæ, hæc enim omnia debebantur Illi ratione Unionis Hypoſtaticæ.

3. Probavi, quòd regulariter, id eſt, ferè ſemper, Judicium hoc exerceatur, nec ante, nec poſt inſtans mortis, ſed in illo ipſo inſtanti, in quo diſſolvitur Unio Animæ cum Corpore: id eſt, in Inſtanti mortis.

4. Aſſerui & deduxi, Hiſtoriam illam eſſe Veritati conformem, quæ refert, quendam defunctum Doctorem Pariſienſem, palàm ex Feretro denuntiâſſe, ſe, in Judicio Particulari accuſatum, judicatum, & damnatum eſſe. Objectiones in contra ſolutæ ſunt ibidem.

Cùm ergo antea Diſſertationem de Judicio Particulari conſcripſerim & impreſſerim, ideo videtur eſſe congruum, ut nunc deſcendam ad tractandum etiam de Univerſali Judicio, ejuſquè ſignis & Rebus, illud antecedentibus & conſequentibus.

Porro, quia in præſenti Tractatu, præter Antiquos Patres & Sanctos Doctores, in Reſponſionibus ad varia Quæſita, adduco ſæpè Auctoritatem & Textus Quorūdam Noſtrorum Theologorum, ut Patris Salmeronis, P. Franciſci Suarez, P. Cornelii à Lapide, P. Raynaudi, Patris de Valentia, P. Maldonati, & Card. Bellarmini. Qui Theologi non leve pondus conferunt Reſponſionibus datis (fortè verò à pluribus lecturis hunc Tractatum, ignoratur, quantæ fuerint Auctoritatis prædicti Theologi) ideo nunc breviter quædam de illis innuere placet.

Quanto in pretio habitus eſt & habendus Pater Salmeron?

P. Alphonſus Salmeron, fuit unus è decem primis Patribus Societatis noſtræ. Is à Paulo III. Summo Pontifice, cum Nuntii Apoſtolici Poteſtate, in Hyberniam fuit expeditus, & à Paulo IV. in Belgium & Poloniam: ab aliis variis Romanis Pontificibus ter etiã ad Concilium Tridentinum, ut Theologus Pontificius: ubi ſummi Ingenii & incredibilis Eruditionis ſpecimen dedit. Item coram S. Pio V. in verno Jejunio, juſſus, Conciones habuit, magna cùm ſatisfactione. Annô 1561. ab Adm. R. Patre Jacobo Laynez (ſecundo Societatis JESU Præpoſito Generali, juſſu Summi Pontificis in Galliam proficiſcente) Vicarius Generalis fuit deſignatus. Collegium, & Provinciam Neapolitanam fundavit, primus

primusq; rexit, & gliscentes ibi Lutheri errores, Scriptis & Concionibûs compressit. Eruditionem suam Sacram per XVI Tomos, in Evangelia & reliquum Testamentum Novum diffudit, Typis sæpiùs repetitis. Obiit Neapoli, magno Amplissimæ Urbis mærore, 13. Februarii, Annô Domini 1565.

Item Pater Franciscus Suarez?

P. Franciscus Suarez Natus Granatæ in Hispania, Annô 1548. Ingressus Societatem, Annô 17 ætatis suæ: ut Generis sui claritatem, ita Societatem & Ecclesiam universam, ubertate & Soliditate Doctrinæ Theologicæ, eximiè illustravit. Theologorum Societatis & recentiorum sæculorum facilè Princeps. A Paulo V. Summo Pontifice in quaternis ad ipsum datis literis, *Doctoris Eximii* Titulô fuit honoratus: à variis Academiis celeberrimis habitus ævô suô *Alter Augustinus*. Theologicam Cathedram Sapientiæ suæ Oraculis per annos 40, exornavit in Hispania, Romæ & in Lusitania Conimbricæ. Dum Romæ Annô 1578. Prælectiones Theologicas exorsus est, ipsum etiam Pontificem Maximum Gregorium XIII. meruit habere primæ suæ Lectionis Auditorem. Philosophiam & Theologiam Tomis 24. in folio, illustravit; visi quoq; sunt splendidi radii à Crucifixi Effigie in Ejus Orātis Faciem & Pectus vibrari, ipsô tunc cubitis duobûs à terra elevatô. Obiit Ulyssiponæ in Lusitania, Annô Domini 1617. 25 7bris. ætatis suæ Annô 69.

Nec non P. Cornelius à Lapide?

P. Cornelius à Lapide Natione Belga, olim Lovanii, postea Romæ annis plurimis Sacræ Scripturæ emeritissimus & laudatissimus Professor: Communiq; Virorum Primæ Auctoritatis, & doctissimorum consensu, habitus est Recentiorum, Sacrarum Scripturarum Interpretum Princeps & Relegiosæ Perfectionis Exemplar. Eruditissimos in omnem S. Scripturam (præter Psalmos & Job, quos morte præventus non absolvit) confecit Commentarios.

Auctoritatis quantæ Pater Raynaudus?

De P. Theophilo Raynaudo Innocentius X, multis audientibûs pronuntiavit: *Peculiari Eum Divino Instinctu ad scribendum appulisse animum.* Alexander vero VII, in magno semper illum

pretio habuit. In Bibliotheca Scriptorum Societatis JESU hæc
" de Eo impressâ leguntur, [Theophilus Raynaudus, Natione
" Gallus, ingressus in Societatem Annô 1592, ætatis 16. Vir præ-
" stanti ingeniô, acri Judiciô, prompta facundiâ & omni scien-
" tiarum genere excellens. Andreas Saussasius, Episcopus &
" Comes Tullensis, in suo Apparatu ad Martyrologium Galli-
" canum. Cap. 20. Eum vocat: *Theologum Præstantissimum, nito-*
" *re eloquii, & consummatæ Eruditionis copiâ plenum;* Cardinalis
" Joannes Bona, antea Abbas Generalis Ordinis Sancti Bernar-
" di, in suo Opere de Harmonia Ecclesiæ, ait: *Eum esse omni*
" *doctrina, & Eruditione refertum, & multitudine librorum quos*
" *scripsit, omnibus notum*: Sanctæ Sedi Apostolicæ fuit apprimè
" addictus. Hanc contra Hæreticos, & Novatores, calamô ac
" sermone pugnacissimè defendit. Deniquè Octogenariô ma-
" jor, & multîs clarus Virtutibûs, ictus Apoplexiâ, migravit ad
" Dominum, Lugduni, die ultima 8bris 1663. Ejus novemde-
" cim Tomi in folio digesti editi sunt Lugduni Annô 1665. To-
" mum vigesimum, qui dicitur Apopompæus, ediderunt alii
" sinè Approbatione Superiorum Societatis. Unde hæc illum,
" tanquam partum Legitimum non agnoscit.] Hucusquè ex Bi-
bliotheca Scriptorum Societatis.

Item Pater Valentia?

P. Gregorius de Valentia S. J. primæ magnitudinis fuit Theologus, is à Clemente VIII. Pontifice Maximo, qui Ejus olim Discipulus fuerat, insigni elogiô *Doctoris Doctorum* honoratus; Theologiam Scholasticam eximia claritate illustravit Tomîs 4. Multis item aliis librîs Sapientissimè conscriptis adversùs Hæreticos, quos Dilingæ & Ingolstadii in Germania Theologiam docendo annis 23. acerrimè insectatus est; excursione etiam in Poloniam suscepta ad Stephanum Bathoreum Regem, pro Hæreseos depressione.

Nec non Pater Maldonatus?

P. Joannes Maldonatus S. J. Hispanus, editis in Sacram Scripturam, præsertim in 4tuor Evangelia Doctissimis Commentariis, & methodo, zeloque insectandi, atq; convincendi Hæreticos

ticos celeberrimus. Qui Theologiam primus, 10. annis in Claromontano Collegio Parisiensi docuit, sacrasq; literas explanabat tantô plausu & aviditate, ut etiam Concionatores, Parochi, Abbates, & Episcopi ipsi, imò & Ministri Heterodoxi, prælectionum tempus, unâ alterave horâ prævenirent, ne excluderentur Auditorum multitudine; quæ in tantum excrevit, ut sæpè in aperto, extra scholarum parietes, docere cogeretur. In magno pretio etiam habitus à Gregorio XIII. à quo ex Gallia in Urbem accersitus, ibi brevì, mortem vitæ Sanctæ conformem, nec improvisam oppetiit. Annô 1583. 5ta Januarii.

Robertus Bellarminus, S. R. E. Cardinalis è Societate JESU, Purpurâ, à Clemente VIII decoratus cum Elogio: *Hunc eligimus, quia non habet Ecclesia parem quoàd doctrinam.* Virtute verò parem S. Carolo Borromæo, Urbanus VIII. dixit. Alii Purpurati, illum Athanasium, Augustinum, doctrinæ Miraculum, Hæreticorũ Malleum: S. Spiritûs Amanuensem &c. dixerunt. Clarus Signîs & Vaticiniîs, mortem Virgo obiit Romæ, Anno 1821. ætatis 79. *Item Card: Bellarminus?*

Propono sæpissimè in præsenti Tractatu ipsisimos Sanctorum Patrum, nec non, nunc enumeratorum recentiorum gravissimorum Theologorum Textus, quandoque etiam longiores, id enim & ad rerum auctoritatem, & ad legentium multiplicem utilitatem, plurimùm conducere arbitror. Quid enim aut jucundius aut utilius esse potest, quàm Sanctos Patres, & gravissimus Theologos sua verba loquentes audire? magnoquè tum librorum, tum temporis æquè ac laboris compendiô eosdem legere, *habereq; collectum quasi in unam Coronam, germen floridum,* (Verbîs loquor Cassiodori Senatoris Romani) *quod per Librorum Campos, passim fuerat antea dispersum.* Utiquè S. Hieronymus in Epistola ad Pamachium & Marcellum testatur, S. Ambrosium, Origenis Sermonibûs plenum esse; & Divus Bernardus Homiliâ 3. super Missus est. *Libenter* (inquit) *ubi mihi congruere video,* *Cur sæpè Textus Patrum & Theologorum appositi?*

video, verba Sanctorum assumo, quô vel ex Vasculorum pulchritudine gratiora fiant, quæ eis Lectori apposuerim.

Quin Judiciô omnium rectè sentientium, laudabilissimè S. Prosper, Episcopus Rhegiensis, Librum integrum Sententiarum trecentarum octoginta octo: & S. Beda, Commentaria in omnes Epistolas S. Pauli confecerunt, excerpendo hæc omnia ex Divi Augustini Operibus, ejusmet ferè Verbîs. Ne verò me errâsse in eo aliqui censeant (ut censuisse inaudii) quòd in Libris meis antea etiam impressis, Venerabilem Bedam nominaverim Sanctum: Sciant, in Martyrologio Romano ad diem 27 Maji, legi hæc: *Eodem die depositio Venerabilis Bedæ Presbyteri, Sanctitate & Eruditione celeberrimi.* Cardinalis verò Baronius in suis eruditissimis Notis ad prædictum diem Martyrologii, habet hæc: *Hunc* (id est Bedam) *ab aliquibus nimìs inconsultè putatur ob id, quòd Venerabilis dictus reperitur à nonnullis, Sanctum dici non debere: Sanè quidem, Sanctitatis tituló ornaverunt Eum Majores.* Addo Eruditionis gratiâ. S. Beda fuit natione Anglus, Floruit Annô Domini 720. Scripsit plurima, quæ octo Tomîs continentur. [Quantum autem ex scriptis illius elicere licuit, (*inquit Card. Baronius*) reperimus Eum, usquè ad nonagesimumquartum suæ ætatis vixisse annum, quorum octoginta septem exegit in Monasterio, Septennis (ut ipse scribit) traditus est S. Benedicto Abbati in Monasterium Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli positum in Anglia. De Beda illud etiam vulgatum, constat esse figmentum; fuisse nimirum oculîs orbum, nemo id Veterum testatur] Hucusquè Card. Baronius.

Beda Venerabilis, an Sanctus?

Concludo Prologum Verbîs iîs, quibus ex præscripto Ecclesiæ utuntur Sacerdotes, habendo Sacrum de Passione Christi. *Domine JESU Christe, qui de Cælis ad terram de sinu Patris descendisti, & Sanguinem pretiosum in remissionem peccatorum nostrorum fudisti, Te humiliter deprecamur; ut in die Judicii ad Dexteram Tuam audire mereamur. Venite benedicti.*

Fiat. AMEN.

DISPUTA-

DISPUTATIO I.

An, Ubi, & Quando futurum Judicium Universale? Continebit præsens Disputatio (præter alia quædam minora quæsita) præsertim tres Quæstiones.

1. *An Judicium Universale sit futurum, in quo Christus Dominus Judicem acturus est?*
2. *In quonam loco hoc Judicium futurum?*
3. *Et quonam determinato tempore?*

QUÆSTIO I.

An præter Judicium Particulare (in quo Animæ Hominum, statim ut per mortem separantur à suis corporibus, judicantur) est futurum Universale Judicium, in quo Christus Dominus aget supremum Judicem? & quænam Causæ, seu potiùs Congruentiæ, hujus Judicii Universalis?

I. R*Espondeo imò. Certùm est ex Fide Orthodoxa, futurum aliquando Universale Judicium hominum Vivorum ac mortuorum.*

Testimonia Sacra pro hac Veritate.

Ratio est. Quia (loquor verbis S. Augustini Lib: 20. de Civit: Cap. 5.) *Salvator ipse evidentissimè prædicat diem Judicij esse venturum, ut Matthæi 11. Dico vobis, Tyro & Sidoni remissiùs erit in die Judicij, quàm vobis.* Et Matthæi 12. *Viri Ninivitæ surgent in Judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam.* Matthæi 19. *Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis &c. sedebitis & vos super sedes 12, judicantes &c.* Matthæi 25. *Cum venerit Filius hominis &c.* Docetur id ipsum clarè pluribus etiam in locis aliis, tam in Veteri, quàm in Novo Testamento. Idem docent omnes Sancti Patres, quorum scripta habemus, profitemurquè hanc Veritatem in Symbolis Apostolico, Nicæno & S. Athanasii.

2. *Confirmatur eadem Veritas.* Christus Dominus, ut patet ex Evangelio, inter alia, verissimè prædixit, conversionem Gentium, Trinam Negationem Petri, sui à Juda proditionem, Jerosolymitanæ Urbis excidium, & modum. Prædixit Multoties distinctè & ordine, totam suam Passionem, ac Resurrectionem, inventionem stateris in medio ore piscis; Occursum hominis, amphoram aquæ portantis; inventionem pulli Asinæ; Discipulorum persecutiones ac miracula; Petri Crucifixionem, & similia. Cùm igitur hæc omnia, ut prædixit, evenerunt; quis prudenter diffiteri poterit, futurum Judicium Universale? siquidem idem Christus Dominus apertissimè asseruit illud futurum? ut inter alia, Matth: Cap. 24. *Statim autem, post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, & tunc apparebit signum Filii hominis in Cælo &c. Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cæli cum virtute multa, & majestate: & mittet Angelos suos cum Tuba & voce magna: & congregabunt Electos Ejus.* Et Matth. Cap. 25. *Filius hominis sedebit super sedem Majestatis suæ, & congregabuntur ante Eum omnes Gentes &c. Et statuet oves à dextris suis, hædos autem à sinistris.* Similia leguntur apud S. Marcum Cap. 13. à versu 24. Et apud S. Lucam Cap. 21, à versu 25.

Non absimili Argumentô usus est longè antè, ad confirman-

mandam hanc veritatem celeberrimus Sanctitate & doctrinâ Divi Chrysostomi discipulus, Isidorus Pelusiota, Lib: 2dô. Epist: 157. Hujus Isidori Epistola ad Theodosium Juniorem Imperatorem, nec non ad Sanctum Cyrillum exstat, apud Cardinalem Baronium Tomô 5tô Annalium, ad Annum Christi 441.

Accedit. Quòd in libro *Zunæ*, seu *Sunæ*; qui liber est magnæ auctoritatis apud Mahometanos, & continet dicta & facta Mahometi, expressè affirmatur. *JESUM Christum venturum ut Judicem Verum ad judicandum hunc Mundum.*

3. *Respondeo 2dò. Congruentissimum fuit, ut præter Judicium particulare, quod exercetur in instanti mortis cujusq; hominis, sit universale Judicium.* **Nec non Congruentia magna.**

Congruentiæ hujus à Patribus, & Theologis, afferuntur variæ; sed ferè omnes illas, Tomô 1. in Tractatu de Judiciaria Potestate in Finali Judicio, videtur complexus esse Sancto Bernardo amicissimus Richardus de S. Victore, dum ait: [Vide quid sit " inter Judicium particulare, & Ultimum Judicium; Particulare " fit de tota Vita hominis, non tamen secundùm totum, quod " est hominis: Illud autem ultimum Judicium, erit de toto, & " secundùm totum (Tunc enim simul juxta merita vel demerita " præmiabitur homo, etiam secundùm corpus, vel punietur; unde dicit Sanctus Paulus, 2dâ ad Corinth: 5. *Omnes nos manifestari oportet, ante Tribunal Christi, ut referat unusquisq; propria corporis prout gessit, sivè bonum, sivè malum*) Istud fit cum aliquibus, " & coram aliquibus: Illud fiet simul de omnibus, & " coram omnibus. Vide quàm rectè confunditur coram " universis, qui hìc non timuit offendere Dominum Universitatis. " Vide, quàm rectè glorificatur coram omnibus, qui Do- " minum Universitatis glorificavit in omnibus. Vide, quàm " rectè caput perditionis, coram omnibus, dejectionis suæ igno- " miniam suscipit, qui à principio omnium dejectioni insudavit. " Attende autem, illud ultimum Judicium quàm sit congruum, " vel, ut sic dicam, necessarium. Sæpè Divina Judicia, quasi in- "

" juſta reprehendimus; ſæpè contra ejus flagella murmuramus.
" Ibi judicantibus Apoſtolicîs Virîs, propalabitur coram Uni-
" verſis, quàm juſtus Dominus in omnibus vijs ſuis, & ſanctus,
" in omnibus operibus ſuis] Hucusquè Richardus.

Objectio in contra ſolvitur.

4. Quodſi Objiciatur? Utique Propheta Nahum Cap. 1mo dicit: *Non conſurget duplex tribulatio.* Seu ut 70. Interpretes legunt. *Non Judicabit Dominus bis in id ipſum.* Ergo præter particulare Judicium, non erit aliud. Reſpondet ad hanc Objectionem S. Thomas in 3. parte, Quæſt. 59. Articulo 5. quòd DEUS non judicabit bis in id ipſum, id eſt ſecundùm idem; ſed ſecundùm diverſa, non eſt inconveniens, DEUM bis in id ipſum judicare: ſeu quod idem eſt, ut dicit P. Suarez in 3. P. Quæſtione 59. Diſputatione 53. Sect. 1. DEUM non judicare bis, ut priorem ſententiam mutet, vel ut bis puniat: poſſe tamen bis judicare, ut, & ſuppleat, quidquid ex debita pæna deerat, & convenienti modô ſententiam proferat in Eum, qui peccârat, qui priùs non omnino, ſed quaſi ex parte tantùm, judicatus fuerat.

Chriſtus Dominus quà Homo aget Judicem.

5. *Reſpondeo 3tiò. Certùm eſt, Chriſto Domino, quatenùs Homo eſt, ſeu in Humanitate ſua, datam eſſe ſpecialem poteſtatem ad ferendum judicium in iis, quæ pertinent ad præmium, vel pænam æternam.*

Ratio eſt. Quia ipſemet Chriſtus Dominus de ſeipſo dicit Matthæi 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo, & in terra.* Et Apocal. 1mo. *Habeo claves mortis & Inferni.* Id ipſum clarè evincitur teſtimoniô Sancti Petri, Actorum 10. *Præcepit nobis prædicare Populo & teſtificari: Quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à DEO Judex Vivorum, & mortuorum.* Ubi, ut Evidens eſt ex contextu, loquitur S. Petrus de Chriſto, ut Homine: S. item Paulus Actorum 17. dicit de Chriſto: *In quo Judicaturus eſt Orbem in æquitate, in Viro, in quo ſtatuit fidem præbens omnibus, ſuſcitans Eum à mortuis.*

6. *Confirmatur eadem Veritàs* Verbîs illîs Chriſti Domini, Joannis 5to. *Pater non judicat quemquam, ſed omne Judicium dedit*

dit Filio. Quia scilicet, solus Filius, in forma visibili Humanitatis, est judicaturus; ut præter alios eleganter explicat illum textum S. Augustinus Tomô 9. Tractatu 21. in Joannem. *Hoc* (inquit) *dictum est, quia hominibus in Judicio non apparebit, nisi Filius. Pater occultus erit, Filius manifestus. In quo erit Filius manifestus? in forma, quâ ascendit. Nam in forma DEI cum Patre occultus est, in forma servi, hominibus manifestus. Non ergò Pater judicat quemquam, sed in manifesto omne Judicium dedit Filio.* Et post citatum hunc textum Tomô 4tô. Disp. XI. Quæst. IV. Puncto I. addit P. Gregorius de Valentia. Quòd autem Pater, " atque adeò etiam Spiritus Sanctus, & Ipse Christus, ut DEUS, " occultè quidem judicaturus sit, dubitari non potest; cùm dicat " Filius de Patre, Joannis 8vo. *Ego autem non quæro gloriam meã;* " *est, qui quærat, & judicet.* Et S. Thomas Tomo 17. in scripto " 2do in 4. libros Sententiarum, in Lib. IV, Distinctione 47. Quæstione Unica, Articulô 2dô dicit: *Dicendum, quòd Judicare est multipliciter; Unô modô Auctoritate; & sic tota Trinitas judicabit, specialiter verò Filius se omnibus visibilem præsentando, in humana Natura.*

7. *Respondeo 4tò. Convenientissimum fuit hanc Potestatem Judiciariam Christo Domino, quà Homini conferri.* Idq; fuit convenientissimũ.

Ratio est. Tum quia conveniens est, ut Homines à Christo Domino Homine, utpote Generis totius humani homogeneo supremo Capite judicentur, deservitquè id ad singularem consolationem bonorum, damnatorum verò confusionem majorem. Tum quia, ut rectè annotavit S. Eucherius, Episcopus Lugdunensis (floruit is Annô 440.) Homiliâ 1mâ & 2dâ de Symbolo. *Congruum erat, ut ille veniat ad discutiendam vitam nostram, qui eam restituit per mortem suam; & ille veniat ad judicandum nos, qui se meminit addictum fuisse judicio pro nobis: illeq; pro commissa nobis salute nostra rationem exigat, qui pro nostra Redemptione damnatus est. Item ipse veniat, ut bonis se restituat Creditus, malis se objiciat Crucifixus: ut crescat terror Judicii de præsentia Corporis judicati.*

8. Porrò,

Quandonam Ei collata hæc Judiciaria Poteſtas?

8. Porro, Poteſtas hæc judiciaria, data eſt Chriſto Domino ab initio Incarnationis, ſicut & Regia poteſtas, & alia omnis poteſtas Excellentiæ. Hæc enim omnia convenientiſſimum erat dari illi ratione Unionis Hypoſtaticæ.

Meruit eam.

Nota. S. Thomas in 3tia Parte, Quæſtione 59. Articulô 3tiô, & Communiſſimè alii Theologi docent, quòd Chriſtus Dominus hanc Judiciariam Poteſtatem ſimul meruit: idquè ipſum colligitur ex Verbis Chriſti Domini, Joannis 5to. *Pater Poteſtatem dedit Filio Judicium facere, quia Filius Hominis eſt.* Scilicet, cùm Filius DEI eſſet, non adoptivus, ſed naturalis, Ejuſdemque ſubſtantiæ cum Patre, factus eſt Filius Hominis, imò vermis, & non homo, opprobrium hominis, & abjectio plebis: Obediens item factus Patri, uſque ad mortem Crucis; S. verò Thomas locô ſuprà citatô. probat idem Verbîs Job. Cap. 36. *Cauſa Tua, quaſi impii judicata eſt, Cauſam, Judiciumq; accipies.* Et verbîs S. Auguſtini, Tomô 10. in Libro de Verbis Domini, in Sermone ultimo dicentis: *Sedebit Judex, qui ſtetit ſub Judice: damnabit verò reos, qui falsò factus eſt reus.*

9. *Neq; dicas*, Judiciaria poteſtas aſſequitur Regiam dignitatem; ſed Regiam dignitatem obtinuit Chriſtus absque meritis; competit enim Ei ex hoc ipſo, quòd eſt Unigenitus DEI; Ergò Chriſtus Judiciariam poteſtatem non obtinuit ex meritis. Reſpondetur enim Verbîs S. Thomæ: „Quòd nihil prohibet, „unum & idem deberi alicui ex cauſis diverſis: ſicut Gloria Cor„poris reſurgentis, debita fuit Chriſto non ſolùm propter con„gruentiam Divinitatis, & propter Gloriam Animæ, ſed etiam „ex merito humilitatis, paſſionis. Et ſimiliter dicendum eſt, „quòd Judiciaria poteſtas Homini Chriſto competit, & pro„pter Divinam Perſonam, & propter Capitis dignitatem, & „propter (*intellige, ſuppoſitis etiam aliis rationibus hujus poteſtatis*) „plenitudinem gratiæ habitualis.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

In quonam loco Judicium Universale futurum? Et, An, omnino indubitatum est, illud fore non alibi, nisi in Valle Josaphat?

10. R*Espondeo imò. Etiamsi Christus Dominus absolutè loquendo, potuerit absq; corporali sua visibili præsentia Judicium Universale perficere* (Nulla enim in hoc implicantia: ut sentiunt gravissimi Theologi) *tamen defactò ad hoc munus obeundum, de Cælo descensurus est.*

Ratio est. Quia id nobis constat ex variis Sacræ Scripturæ locis, quorum aliquos etiam in superiori Quæstione innui. Et S. Paulus, primâ ad Thessal. Cap. 4. v. 5. dicit. *Ipse Dominus in jussu, & in voce Archangeli, & in tuba DEI, descendet de Cælo.* Idem nobis constat ex Symbolis, Apostolorum, Nicæno, & S. Athanasii; necnon ex sensu omnium Patrum.

Accedit. Judicium Universale in terra ut fiat, est congruentissimum. Congruentiæ, inter alias, à Sanctis Patribus, & Theologis adferri solent hæ: 1. Quia terra fuit locus viæ & pugnæ cum concupiscentiis carnis, & dæmone; & quasi indifferens, ad præmium & pœnam obtinendam. 2. Quia cùm inter judicandos sint plurimi damnati, non convenit illos in Cælum deferri, ut ibi judicentur; siquidem nihil coinquinatum ingreditur in illam Cælestem Hierusalem. Non decuit item, illos damnatos in infernum cum corporibus deferri, antequam judicarentur. Fuit autem conveniens, ut omnes judicandi simul adessent; ut constat ex dictis in superiori Quæstione, numerô 3. Adeoque congruum fuit, ut illuc Judex præsens adveniret, ut sic ab omnibus judicandis videri, audirique possit, absque inusitatis miraculis: Majorque magnificentia judicii illius appareret. Vide dicta, supra num: 7.

Quænam Congruentiæ ut Judicium in terra fiat?

11. *Respon-*

Et quidem in Valle Joſaphat?

11. *Reſpondeo 2. Judicium Univerſale futurum eſt in Valle Joſaphat, cui imminet Mons Oliveti, Unde Dominus in Cælum aſcendit.* Ita S. Thomas in 4. Diſt.48. Quæſt.1.Art. 4. Item Opuſc. 60. Cap. Ult: & alibi. S. Antoninus 4. Part. Tit.14. Cap. 10. §.5, Albertus Magnus Diſt. 48. Art. 8. Quos ſequuntur communiſſimè plurimi Doctiſſimi Theologi. Paludanus Diſt. 47. Quæſt. 1. Art.1. Dominicus Soto, Carthuſianus, &c. E noſtris, Card. Bellarminus Tomô 7. in Explicatione Symboli Apoſtol. Suarez in 3tiā Partē Divi Thomæ. Quæſt: 59. Diſp. 53. Sect. 3. Gregorius de Valentia, Tomô 4. Diſp. 11. Quæſt. 4. Punctô 2dô, &c. Nec non Eruditiſſimi Interpretes Sacræ Scripturæ, ut Lyranus, Vatablus, Aretas Epiſcopus Cæſarienſis, Ribera &c.

Reſponſionis 2dæ datæ Ratio eſt. Quia Jòëlis Cap. 3. Verſu 2dô dicitur. *Congregabo omnes Gentes, & inducam eas in vallem Joſaphat, & diſceptabo cum eis ibi.* Et ibidem infra Verſu 12. *Conſurgant & aſcendant Gentes in Vallem Joſaphat, quia ibi ſedebo, ut judicem omnes Gentes in circuitu.* Porrò Univerſaliter, Verba ſcripturæ Sacræ ſunt in ſenſu proprio & literali accipienda, & non ad Metaphoram, vel Ethimologiam diſtrahenda, ſi nihil grave in contra obeſt. Hìc autem quid obeſt, ne prædicta Verba in Senſu literali, & Hiſtorico accipiantur?

12. *Confirmatur Reſponſio imò.* Verbìs Angelici Doctoris Tomo 17. Opuſculo 60. Art. ultimo, ſeu 25. [Notandum, " quòd probabiliter creditur Chriſtus venturus ad judicium, " circa locum Montis Oliveti, & Vallis Joſaphat, quæ ſubjacet " monti Oliveti, ſecundùm illud Jòël 3tiô, *Congregabo Omnes* " *Gentes, & deducam eas in Vallem Joſaphat, & diſceptabo cum* " *eis :* Tum ut idem oſtendatur eſſe, qui deſcendit, & qui a" ſcendit: Tum quia conveniens eſt, Ut ibi veniat cum gloria " judicaturus, Ubi fuerat cum ignominia judicatus. Poſſumus " etiam rationem hujus convenientiæ ſumere ex nominibus lo" corum; Mons enim oliveti, deſignat miſericordiam: Joſaphat " quod interpretatur Judicium, deſignat Juſtitiam. Quia verò in ex-

in extremo Judicio tractandum eſt Opus Miſericordiæ, & Ju- "
ſtitiæ, convenienter dicitur Chriſtus venturus ad locum præ- "
dictum ad judicandum.] Hucusque S. Thomas. & Idem Sanctus, Tomô 12 in 3tia parte. Quæſt. 88. Art. 4tô ait. *Probabiliter poteſt colligi ex ſcripturis, quòd circa locum Montis Oliveti, deſcendet Chriſtus Dominus ad Judicium ſicut & inde aſcendit.*

13. *Confirmatur 2dò.* Quia certum eſt, aliquem locum Judicii futurum; nec poteſt cum ulla probabilitate aſſeri, locum illum futurum extra Judæam, utpotè quam terram DEUS venturo Meſſiæ deſtinavit: & in qua natus, legemquè ſuam promulgavit in ea, Omniaq; Eccleſiæ myſteria peregit; Ibidemquè paſſus &c. Quodſi in Judæa eſt judicaturus. Ubi nam congruentiùs, quàm in Valle Joſaphat? Tum quia Vallis hæc eſt ad radices Montis Oliveti, ex quo Dominus in Cælum aſcendit, in forma glorioſa. Et quô aſcendente, Angeli, admirantibus Apoſtolis dixerunt. Hic JESUS qui aſſumptus eſt à vobis in Cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis Eum Euntem in Cælum. Si Ergo in illa forma venturus eſt, probabile multùm, eſt, quòd & in eundem locum ſit deſcenſurus. Tum quia (ut Conſtat ex Capite 18. Joannis) in Valle Joſaphat, per quam fluit torrens Cedron (ut ſcribit S. Beda Lib. de Sanctis locis, & Alii) Paſſionem ſuam inchòávit; Ibi enim comprehenſus eſt; inſuper (ut ſapienter notat Suarez cum pluribus) Vallis illa, eſt locus intermedius inter Montem Calvariæ, & Montem Oliveti, adeoquè quaſi utrumquè Montem complectitur: ideoque locus multùm congruus ad Judicium perficiendum, in quo Sancti, & Gloriam Aſcenſionis Chriſti, participabunt, & fructum ſanguinis, & Paſſionis Ejus; & Chriſtus Dominus juſtam vindictam ſumat de perſecutoribus ſuis, ac illis omnibus, qui Illius ſanguine ablui noluerunt. Demum, ut ibi Chriſtus ſuæ Gloriæ Majeſtatem oſtendat, ubi ſummam ignominiam ſuſtinuit.

14. *Objicitur 1mò, contra datam 2dam Reſponſionem.* Vallis illa Joſaphat, cùm non ſit adeò ampla, impoſſibile erit, ut tantam *Objectiones in contra ſolvuntur.*

tantam multitudinem capiat hominum judicandorum, ipsi enim solummodò damnati excedunt numerum multorum millionum: fingere autem, corpora damnatorum, penetrativè esse futura in minori loco, quàm natura rei postulat; quodnam fundamentum & necessitas tanti miraculi? imò hoc est contra sensum Patrum & Theologorum. Ergo non fiet Judicium in illa Valle. *Respondetur ex sensu Communi Theologorùm.* Damnatorum multitudinem futuram non solùm in Valle Josaphat, sed etiam in aliis circumjacentibus locis, quantùm ad damnatorum corpora capienda fuerit necesse. Sancti verò resurrecturi, non manebunt in terra, sed per dotem agilitatis, in àërem sunt sublevandi: ut testatur S. Paulus ımâ ad Thessalonicenses Cap. 4. Versu 16. *Simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in àëra.* Licèt ergo damnati, (quorum ingens erit numerus) præter Vallem Josaphat, occupabunt multa alia loca vicina, ut v. g. Montem Oliveti, locum Jerosolymitanæ Urbis, &c. Imò fortè maximam partem totius Judææ (est enim hæc Regio parva) dicuntur tamen potiùs congregandi in Valle Josaphat, quàm in alio loco: quia eò incipient congregari judicandi; & forsan supra ipsam Vallem collocabit Thronum suum in àëre Christus Dominus, cujus tantus erit splendor, voxque tam sonora, ut à quàm maxima distantia, videri, & audiri possit. Dixi *Judæam* (quæ aliter dicitur Palæstina, Terra promissionis, Regnum Israëlitarum) *esse Regionem parvam.* Tota enim illa Regio continet solùm in longum milliaria Polona æqualia (quorum quodlibet unâ horâ confici potest) sexaginta & septem: Latitudo verò non excedit octodecim milliaria; ut testatur Adrichomius accuratus & doctus scriptor in præfat: in Theatrum Terræ Sanctæ, Brocardus itiner. 7. S. item Hieronymus in Epistola ad Dardanum, asserit Judæam parvam esse: Cornelius etiam à Lapide dicit: *Judæa est minor Belgiô nostrô.* Dicitur tamen Exodi 3. Cap. 8vo. *Terra spatiosa,* non quidem spatiosa absolutè, (ut in eundem locum notat à Lapide) sed respectu terræ angustæ Gessen,

ex

ex qua Hebræos eduxit DEUS, uti hìc ipse ait: & quia terra illa spatiosa erat respectu ubertatis soli, ob quam, innumerabilem fere multitudinem hominum commodè alebat.

15. *Objicitur 2dò.* Magister Sententiarum Lib. 4tô Dist. 48. habet hæc: [Putant quidam Dominum descensurum in " Vallem Josaphat, in Judicio, eò, quòd ipse per Jòëlem Pro- " phetam Cap. 3. sic loquitur. Congregabo omnes gentes, & " deducam eas in Vallem Josaphat, & disceptabo ibi cum eis; " In cujus capituli expositione ita reperi (in Glossa ordinaria) " Hoc quidam pueriliter intelligunt, quòd in Valle, quæ est " in latere montis Oliveti, descensurus sit Dominus ad Judi- " cium, quod frivolum est, quia non in terra, sed in spatio hu- " jus àëris sedebit contra locum Montis Oliveti, ex quo ascen- " dit] *Respondetur.* Magistrum Sententiarum & Glossam, solùm velle, puerile esse, & frivolum, si dicatur, descensurum Christum Dominum in ipsam Vallem, & in ipsa terra illius Vallis sessurum: non enim in terra, sed in àëre collocaturus est Thronum suum. Unde pro nostra Responsione stat Glossa, & Magister Sententiarum.

16. *Nota hìc eruditionis gratiâ.* Petrus Lambardus, Episcopus Parisiensis (qui floruit Annô 1146) Antonomasticè dicitur, *Magister Sententiarum.* Tum quia collegit in libris quatuor, Sententias Sacrorum Theologorum, fecitque ex ijs Theologiæ compendium. Tum quia in omnes Psalmos Davidicos, & in omnes sancti Pauli Epistolas, ex Sententiis Ambrosii, Hilarii, Augustini, Cassiodoris, & Remigii, suppressîs eorum nominibûs, collegit Commentarios eruditissimos. *Nota item.* Glossæ ordinariæ in Scripturam Sacram Auctor est Strabo, Monachus Fuldensis (videbat Annô Christi 840.) is ex Rabani Episcopi Moguntini, Magistri quondam sui Operibus, decerpsit explicationes Scripturæ, composuitque *Glossam* quæ dicitur. *Ordinaria* in Scripturas utriusque Testamenti, quæ postea aucta & ornata à posterioribus fuit. Anselmus verò Laudunensis Scho-

laſticus Annô Domini 1110. (ut tradunt Sixtus Senenſis & alii) Auctor eſt *Gloſſæ interlinearis*, quæ multa breviter, ſed doctè ac utiliter attigit. Huic Gloſſæ tum ordinariæ, tum interlineari, adjungi ſolet Commentarius ſeu Poſtilla in univerſa Biblia, quam Poſtillam Nicolaus Liranus, ex Judaiſmo converſus ad fidem Chriſtianam & Ordine Minorum aſſumpto, præclarè compoſuerat circa Annum Chriſti 1315.

17. *Objicitur 3tiò à quibuſdam.* Nulla fuit vel eſt vallis, quæ diceretur Joſaphat, ſed locus Judicii quicunque ille erit, ab eventu dicitur Vallis Joſaphat, quoniam ibi Dominus judicaturus eſt. Unde & Verſio Chaldaica non vertit in vallem Joſaphat, ſed in *Vallem diviſionis Judicii.* Juxta quam interpretationem, incertum eſt, quiſnam locus futuri Judicii.

Reſpondetur. Omnes, qui ſcripſerunt de locis Terræ Sanctæ, eamque oculis, pedibuſque luſtrârunt teſtantur, inter Templum Hieroſolymitanum, & montem Oliveti, eſſe vallem Joſaphat, ſicque antea, & hucusque ab indigenis appellari: ſemperque ſenſiſſe illud nomen ſeu cognomen, eſſe proprium illius Vallis, non tanquam ſignificans *Judicium Domini*, quamvis forſan tale nomen non ſine myſterio illi valli impoſitum ſit. Inſuper ſeptuaginta Interpretes, (qui annis ferè trecentis ante Chriſti adventum, in Pharo Inſula, prodigiosè Teſtamentum Vetus ex lingua Hæbrea in Græcam transtulerunt) illam vocem *Joſaphat* retinuerunt; intelligentes eſſe nomen proprium, & non duas voces ſignificantes, *Judicium Domini*: Eandemque vocem *Joſaphat* retinuit vulgata Editio, & omnes Interpretes claſſici.

18. *Accedit imò.* Quòd S. Beda in libello de locis Sanctis Cap 6tô, ita de hac Valle ſcribit. [Juxta murum Templi, vel
" Jeruſalem, Gehennon occurrit, quæ eſt Vallis Joſaphat; à
" ſeptemtrionali plaga in Auſtrum porrecta, per quam torrens
" Cedron, ſi quando pluviarum aquas recipit, decurrit. Hæc
" Vallis, & parva campi planities irrigua & Nemoroſa, plenaq;
deli-

deliciis, locum in se quondam Baali sacrum habuit. In hac " turris Regis Josaphat, sepulchrum ejus continens. &c.] Ex " his Sancti Bedæ verbis, & Vallem Josaphat esse, & causam nominis discimus. Quamvis (ut inquit P. Ribera in Cap. 3tium Jòélis) de causa non omnibus convenit; Exstat enim adhuc sepulchrum in ea Valle, quod vulgus indigenarum, Josaphat esse existimat, sed id quibusdam non probatur, quoniam Lib: 3tiô Regum. Cap. ultimo; & Lib. 2dô Paralip. Cap. 21. Sepultus dicitur Josaphat in Civitate David: Nisi fortè casu aliquo postea in Turrim illam, & Vallem sit translatus. In illa etiam Valle monstratur locus sepulchri Prætiosissimæ DEI Parentis.

19. *Accedit 2dò.* Quia (ut sapienter advertit P. Raynaudus Tomô 2dô. Sect. 4. Cap. 8.) per hujusmodi explicationes vocum, & Etymologias, si eludere licebit sensa receptissima, nihil haberetur fixum, & certum, quò ad loca, quibus aliquid gestum aut gerendum, fuit prænuntiatum *vg.* Cùm Oseas, Cap. 11. versu 1mô prænuntiavit Christi ex Ægypto reditum; inquiens: *Ex Ægypto vocavi Filium meum*, ut hunc locum explicat S. Matthæus Cap. 2dô. versu 15. dicens de Christo: *Erat. ibi* (id est in Ægypto) *usq; ad obitum Herodis, ut adimpleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem; ex Ægypto vocavi filium.* dici posset, prænuntiasse Prophetam tantùm liberationẽ Christi de angustia, quam sonat *Ægypti* nomen. Item (ut rectissimè notat Doctissimus P. Lessius de Perfectionibus Divinis lib. 13. cap. 21.) Similî modô quivis locus, in quo Christus nasceretur, potest dici *Bethleem.* idest *Domus Panîs.* quia Christus, est Panis. *Ego sum Panis. Hic est Panis de Cœlo descendens.* Joan. 6. Non tamen idcirco dubium erat, ubi Christus nasciturus erat: quia eo nomine certum oppidum peculiariter sic vocabatur. Quare cùm Scriptura dicat Judicium futurum in Valle Josaphat, & una sit Vallis tantùm, quæ peculiariter sic appellatur, de illa sic intelligendum est.

20. *Objicitur 4tò.* Magìs convenit, ut in Hierusalem fiat Judicium, in qua Urbe Christus iniquè judicatus, & damna-

tus est; præsertim cum Eôdem Cap. 3tio Jòëlis dicatur, versu 16. *Dominus de Sion rugiet, & de Hierusalem dabit vocem suam.* *Respondetur.* Cum Patre Suarez. Quia Vallis illa Josaphat, est locus medius inter utrumque montem, scilicet inter montem Sion & montem Oliveti, omniaq; loca & Mysteria quodammodo complectitur, & ideo tanquam unus locus censetur, adeoque aliquando dicitur etiam Christus judicaturus in Sion & Hierusalem: aliquando verò dicitur descensurus in montem Oliveti ad judicandum. Quod videntur insinuasse Angeli dicentes Actorum Cap. 1mo. *Hic JESUS qui assumptus est à vobis in Cælum, sic veniet.*

Estne omnino indubitatum, extra Vallem Josaphat non futurum Judicium?

21. *Si quæritur.* Est ne omnino Certum, & indubitatum, in Valle Josaphat Judicium Universale futurum? Ad hanc Quæstionem est duplex Responsio gravissimorum Theologorum. 1mò. Doctor Angelicus, ut vidimus supra num: 12. dicit: *Probabiliter creditur Christus venturus ad Judicium circa locum montis Oliveti & Vallis Josaphat.* Eruditissimus Dominicus Soto, ex celebri Ordine Prædicatorum, Cæsareæ Majestatis à Sacris Confessionibus, publicusque apud Salmanticenses Professor, cum pluribus dicit: *Longè probabilior statuitur Conclusio, quòd Judicium celebrandum sit in Valle Josaphat.* Eximius Doctor P. Franciscus Suarez dicit: *Mihi non videtur à communi, & recepta Sententia recedendum* (scilicet in Valle Josaphat futurum Judicium) *quanquam hæc Sententia non sit certa, sed probabilis & pia; & valdè verisimilis.* Sic sentiunt & alii plurimi Scholastici Doctores. *2da* Responsio. Pater Gregorius de Valentia, Tomô 4tô Disputatione XI. Quæstione IV. Puncto 2do, dicit: *Manifesta & apertissima est Prophetia Jòëlis 3tiô, de Judicio futuro in Valle Josaphat.* P. Theophilus Raynaudus, præstantissimus Theologus, & consummatæ Eruditionis copiâ plenus, ait: *Fixum esto, congregandas esse omnes gentes in Vallem Josaphat: Et ibi supernè in äëre locatis Angelis, & Electis omnibus: subtus in ipsa Valle & quantum ulteriùs quaqua versum necesse erit, Dæmones ac repro-*

reprobos omnes jacituros. Idem asserunt alii plures. Tu benevole Lector amplectere Responsionem, quæ placet. Ego secundam non respuo, in primam propendeo.

QUÆSTIO III.

Quonam tempore futurum Judicium Universale? Nec non & Mundi finis?

22. *RESpondeo imò. Judicium Universale futurum est in fine Mundi.* *Quandonam Judicium extremum futurum?*

Responsio hæc certa est ex Consensu totius Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum. Colligiturque id sat manifestè ex scriptura Sacra. Nam inter alia, legitur Matthæi 25. in die illo Judicii congregandas esse omnes gentes ante Christum D. qui ad dexteram positis, dicet: *Venite Benedicti, possidète Regnum &c.* à sinistra verò collocatis; *discedite à me maledicti in ignem æternum &c.* S. item Paulus 1mâ ad Thessalonicenses 4to ait: *Simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in àëra, & sic semper cum Domino erimus.* Et S. Job Cap. 19. de se dicit. *In novissimo die de terra surrecturus sum.*

23. *Nota.* Cùm dicitur, Judicium futurum in fine Mundi, non est Sermo de Mundo quòad Corpora Cælestia, & Elementaria, (hæc enim, peractô Judiciô manebunt, quòad suam substantiam, imò longè puriora quàm nunc sunt, de quo infra in Disputatione 5ta) sed quòad generationem, præsertim hominum, & consequenter aliorum corporum mixtorum, ut animalium, plantarum, & aliarum rerum, quæ deserviunt ad sustentationem vitæ humanæ, per nutritionem, & generationem. Et sub hac consideratione spectatum Mundum, certum est, aliquando finem habiturum. *Quamdiu durabit Mundus?*

24. *Respondeo 2dò, De tempore finiendi Mundi fuerunt suntque sententiæ variæ, præsertim autem quinque, quas refero.*

1mò. Sen-

1mò. Sententia fuit multorum, etiam nonnullorum Veterum Patrum, ut S. Juſtini Philoſophi Martyris, in Lib. Quæſtionum & Reſponſionum Quæſt. 71. S. Jrenæi Lib. 5to contra Hæreſes Cap. 28. Lactantii, &c. qui opinabantur, Mundum finiendum poſtquam ſteterit ſex millibus annorum: refertque Lactantius Lib. 7mo. Inſtitutionum, Cap. 14, 15, & 18. Idem ſenſiſſe Ethnicorum omnes clariſſimos & antiquiſſimos ſcriptores, Hydaſpen Medorum Regem, Mercurium Triſmegiſtum, & Sybillas idipſum prædixiſſe Item in Talmud (quod Opus compoſitum fertur circa annum Domini 446.) in Ejus libro, dicto Sanhedrin, Capite Helac, traditur, Eliam (non celebrem illum Prophetam, ſed aliquem Rabbinum, qui dicebatur Elias) dixiſſe; ſex millibus annorum durabit Mundus, ut Refert Galatinus, Catholicus, & doctus Auctor, lib. 4to, Cap. 20.

Opiniones variæ Quinq.

25. 2dò. S. Germanus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, qui nonagenarius in exilio mortuus eſt, Annô Domini 430. Is in ſua Theoria rerum ſacrarum, non procul à medio, inquirit cauſam, cur Pontifex, dum Populum obſignat, ſeu benedicit, digitos attollit ad ſupputationem numeri 6500. accomodatos? ac reſpondet, quòd Pontifex benedicens populo, ſubindicat adventum Chriſti fore Annô Mundi 6500. Aſſeritque Sanctos Chryſoſtomum Cyrillum, & Hyppolitum in eadem fuiſſe Sententia.

3tiò. Alii cenſebant (ut teſtatur Cornelius à Lapide in Caput 24. Matthæi) fore annos Chriſti tot poſt Chriſtum, quot fuerunt ante Eum. Colligebaturque ab Eis id ex illis verbis Habacuc Cap. 3. verſu 2do. *Domine opus Tuum in medio annorum, vivifica illud. In medio annorum notum facies.*

26. 4tò. Nonnulli opinabantur, tot Jubilæos annorum in Chriſti Corpore Myſtico, puta in Eccleſia Chriſtiana, fore, quot annos ipſe Vitæ ſuæ complevit, nempe triginta quatuor, qui multiplicati per quinquaginta (hic eſt enim numerus Jubilæi) faciunt annos 1700. Tot annis ergò putabant duraturum Chriſtianiſmum, ac deinde fore militantis Eccleſiæ Mundique finem, ac trium-

ac triumphantis initium. Ita Cardinalis Cuſanus Tractatu de fine Mundi, ut refert à Lapide locô ſuprà citatô.

5tò. Alii, infundati Prophetiæ, quæ circumfertur nomine S. Malachiæ, Epiſcopi Hyberni, cenſent, à moderno ſummo Pontifice Benedicto XIII, ad finem Mundi futuros ſolùm ſummos Pontifices 22. quorum ultimus, nominandus Petrus Secundus, qui dicitur gubernaturus Eccleſiam in tribulationibus, quibûs transactîs, Urbs Roma diruenda eſt. Unde ſolùm ferè anni 160. reſtarent ad finem Mundi: Nàm 22. antecedentes ſummi Pontifices, continua ſerie aſcendente, à Benedicto XIII. (qui Pontifex eſt Creatus die 29 Maji, Annô 1724.) ad Paulum IV, ſolùm inſimul ſumpti, vixerunt annis 160.

27. *Reſpondeo 3tiò. Prædictas quinq; Sententias non ſubſiſtere. Probatur* Tum omnibus illis Rationibus, quibus firmiter innititur noſtra Reſponſio 4ta. vide infra numerô 30. Tum quia prædictarum Sententiarum fundamenta ſunt omnino levia, & facilè convelluntur; Nam *Primæ Sententiæ* fundamentum præcipuum eſt; quia ſex diebus conditus eſt Mundus; apud DEUM verò *mille anni ſunt tanquàm dies una.* ut habetur Pſalmo 89. Ergò Mundus durabit etiam ſex millibus annorum. Conjectura hæc ſumpta ex ſex diebus creationis Mundi, nullius eſt Momenti (loquor Verbîs Magni Suarez Tomô 2dô in 3tiam partem. Diſputatione 53. Sectione 4ta) Tum quia illæ Metaphoricæ ſignificationes non poſſunt ab uno loco ad alium liberè transferri; dicuntur autem mille anni apud DEUM eſſe tanquam dies unus, ut immobilitas Divinæ æternitatis ſignificetur; non verò ut dies Creationis ſignificent ſæculum durationis Mundi. Tum etiam quia dici poteſt, illos ſex dies, ſignificare ſex Mundi ætates, quæ non habent æqualem annorum durationem. Oraculum Eliæ apocryphum eſt, à quodam Rabbino confictum. *Accedit*, ad refellendam primam Sententiam; quia Chriſtus Dominus (juxta computationem 72. Interpretum, quos NB. ſecuti ſunt illi ipſimet Patres Veteres ſuprà citati pro prima Sententia,

Prædictæ Quinq; Opiniones convelluntur.

(Justinus, Irenæus, Lactantius) natus est Annô à Mundi creatione quinquies millesimo centesimo, nonagesimo secundo. Jam autem à Nativitate Christi Domini elapsi sunt anni 1726; proinde jam Mundus durat 6918 annis. Porro 72. Interpretum computationem, præter supra nominatos Patres, secutæ sunt antiquæ Ecclesiasticæ Tabulæ; Ecclesia item Occidentalis, & Orientalis, in suis Martyrologiis & Menologiis: Nec non Sancti Patres, Augustinus, Hieronymus, Epiphanius, S. Julianus Episcopus Toletanus, qui floruit annô 680. &c. Scio quidem, alios Scriptores, & Interpretes Scripturæ Sacræ, secutos Veritatem Hebraicam, censuisse Christum Dominum natum esse annô à Mundi creatione ferè quater millesimo, (noster Cornelius à Lapide cum pluribus censet natum 3950.) additis nunc annis 1726 à Christi Nativitate, ad annos 4000, prodibit summa 5726. Quare jure juxta hanc supputationem, supersunt ferè anni 274. ut compleatur numerus 6000. annorum. Adeoque ex hoc capite non potest evidenti, aut certô Argumentô convinci falsitatis prima sententia; aliis tamen de Causis, quas vide numero 30. & Seq. videtur repudianda.

28. *2da Sententia* levissimum habet fundamentum, ut per se patet, (idem dicendum de *quarta Sententia*) adducit quidem S. Germanus pro hac Sententia, Sanctos Chrysostomum, Cyrillum, & Hyppolitum. Verùm respondet Magnus Suarez locô suprà citatô. In Oratione Hyppoliti de Consummatione Mundi, quæ exstat, nullum verbum de hac re legitur; Opuscula verò Chrysostomi & Cyrilli de Antichristo non exstant; nequè in eorum Operibus, hujus sententiæ vestigium invenitur.

Pro Sententia tertia frustra adducuntur illa verba Prophetæ Habacuc 3tiò: Nam juxta Interpretes doctissimos, Orat Propheta DEUM, ut populum sibi peculiarem Israëliticum, quem hactenus magnis beneficiis affecerat, & Cui ut artifices solent, quasi absolutissimo manuum suarum operi suum quasi nomen inscripserat, è mediis calamitatibus Chaldæorum eripiat. Hic

Sen-

Sensus, valdè huic loco congruere videtur, inquit Cornelius à Lapide: Medium enim sumitur pro *summo*, ut cùm dicitur: in medio tribulationum versor.

29. *Ista Sententia* præter alia ex eo etiam rejicienda est. Quia (ut deduxi sat clarè in Libro meo, cui titulus. *Censura Prophetiarum de Romanis Pontificibus*) Prophetia illa falsò attribuitur S. Malachiæ, estquè commentitia, & erronea. *Accedit*, Quia nullus ex primæ Magnitudinis scriptoribus, eam pronunciavit absolutè esse veram: & sæpè, præsertim verò ab Urbano VII. numerando, tam ænigmaticæ sunt descriptiones Pontificum sequentium, ut illarum explicatio commoda haberi nequeat: imò si quis de secuturis Pontificibus experimenti causâ velit penes se comminisci aliquid, excogitaturus ea sit, quæ multò commodiùs valeant, postea electis applicari, quàm applicari possint ea, quæ habentur de Urbani VII. Successoribus, usquè modo: tantâ opus est ad id violentiâ, ut curiosiùs examinanti patebit. Unde conjicitur Auctorem illius totius Prophetiæ, fuisse aliquem, qui vixit non longè ante tempora Urbani VII. *Accedit item.* Quia in illa prædictione successionis Pontificum, veris Summis Episcopis à Spiritu Sancto electis, æqualiter & promiscuè immiscentur illegitimè electi Schismatici, ab Ecclesia anathemizati octo Antipapæ. *Demum præter multa alia. Accedit*: Quia ante annos aliquot, Româ à R. P. Valentino Queck S. J. Viro consummatæ Virtutis ac Eruditionis, Theologoque præstantissimo, necnon variarum Nationum Europæarum sensu hac in quæstione peritissimo, ad me scripta sunt hæc formalia. *Eruditi viri, tum in Italia, tum in Germania, Hispania, Gallia, valde dubitant esse verè Prophetiam Sancti Malachiæ circa successionem Pontificum, quæ dicto Sancto attribui solet. Unde non sunt solliciti de explicatione suppositæ Prophetiæ: Explicationes enim quas aliqui afferunt, aliæ risum movent, aliæ contemptum.* Hæc R. P. Queck, Meus olim in Theologia nunquam satìs laudatus Professor, cujus non solùm Mentem in dissolvendis scientiarum no-

dis expeditam, verùm etiam ſvavitatem Regiminis in plurium Collegiorum, Provinciæq; totius Polonæ Præſide: altum Judicium in Aſſiſtente Germaniæ, & Polonia & Roma probavit. Obiit Romæ in Officio Aſſiſtentis, Annô 1735, 11. Martii, ætatis ſuæ 83.

Diem Judicij prorſus incognitum, deducitur clarè ex S. Scriptura.

30. *Reſpondeo 4tò. Ominno incertum eſt, quonam determinato tempore ſit futurum Judicium Univerſale.*

Probatur. Quia Chriſtus Dominus expreſsè dicit Matthæi 24. verſu 36. *De die autem illa* (ſcilicet adventûs ſui glorioſi ad Judicium) *& hora, nemo ſcit, neq; Angeli Cælorum,* (Incolæ, Motores & Præſides) *Niſi ſolus Pater.* ſimiliter legitur apud S. Marcum Cap. 13. verſu 32.

Confirmatur imò Reſponſio. Quia Chriſtus Dominus in Evangelio ſæpè, Matthæi 24. & alibi hortatur ad vigilandum, *Eſtote parati, quia quâ neſcitis horâ, Filius hominis venturus eſt* ad Judicium tam particulare in hora mortis, quàm Univerſale omnium hominum. Et S. Paulus 1mâ ad Theſſal: 5tô ait; *Dies Domini ſicut fur in nocte, ita veniet.* Ipſequè Chriſtus Dominus Apocalypſis 3tio, verſu 3tio. comparat ſe furi. *Veniam ad Te, tanquam fur.* non quòad actum furandi; ſed quòad ſilentium, & ſecretum. Dixit item Apoſtolis interrogantibus de illo tempore Actorum imô. *Non eſt Veſtrum noſſe tempora, vel momenta quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Malachiæ item Cap. 3tiô legitur. *Ecce venit dicit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare adventum Ejus?*

Similibus Argumentîs ex citata ſcriptura Sacra petitis utuntur Sancti Patres; Unde Reſponſio noſtra.

Nec non & ex Sanctis Patribus.

31. *Confirmatur 2dò.* Validè Auctoritate Sanctorum Patrum. S. Auguſtinus Tomô 8vo, in Enarratione in Pſalmum
" 6tum ait. [Quoniam dictum eſt à Domino. Non eſt Ve-
" ſtrum ſcire tempora, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate, &c.
" De die verò, & illa hora, nemo ſcit, nequè Angelus, nequè
" virtus, nequè Filius, niſi ſolus Pater. Et illud quod ſcriptum
eſt:

est: Tanquam furem venire diem Domini: satis apertè ostendit, neminem sibi oportere arrogare scientiam illius temporis, computatione aliqua annorum. Si enim post septem (*vel sex*) millia annorum, ille dies venturus est; Omnis homo potest annis computatis adventum ejus addiscere. Ubi erit ergò, quod nec Filius hoc novit? Quod utique ideò dictum est; quia per Filium, homines hoc non discunt, non quod apud se ipse non noverit: sed secundùm illam locutionem, Deuteronomii 13. Tentat vos Dominus DEUS vester, ut sciat; id est: scire faciat vos. Et, Exurge Domine, id est; fac nos exurgere. Cùm ergò ita dicatur, nescire Filium hunc diem, non quòd nesciat, sed quòd nescire faciat eos, quibus hoc non expedit scire, id est, non eis hoc ostendat; quid sibi vult nescio quæ præsumptio, quæ annis computatis certissimum sperat, post septem (*vel sex*) annorum millia diem Domini? Nos igitur, quod nescire nos Dominus voluit, libenter nesciamus.] Tomô item 5to, Lib. 18. de Civitate DEI. Capite 53. [Hìc quæri solet de novissima persecutione, quæ ab Antichristo futura est, quando istud erit? importunè omninò. Si enim hoc nobis nosse prodesset, à quo meliùs, quàm ab ipso DEO Magistro, interrogantibus discipulis diceretur? non enim siluerunt inde apud eum, sed à præsente quæsierunt, dicentes. Domine, si hoc in tempore repræsentabis Regnum Isràël? at ille: non est, inquit, Vestrum nosse tempora, quæ Pater in sua posuit potestate. Non utique illi de hora, vel die, vel anno, sed de tempore, interrogaverant, quando illud accepêre responsum. Frustra igitur annos, qui huic seculo remanent computare ac definire conamur; cùm hoc scire, non esse nostrum, ex ore Veritatis audiamus; quos tamen alii quadringentos, alii quingentos, alii etiam mille ab Ascensione Domini, usque ad Ejus ultimum adventum compleri posse dixerunt. Quemadmodum autem quisque eorum astruat opinionem suam, longùm est demonstrare, & non necessàriùm:

" conjecturis quippe utuntur humanis, non ab eis certum ali-
" quid de scripturæ Canonicæ Auctoritate profertur. Omnium
" verò de hac re calculantium digitos resolvit, & quiescere ju-
" bet ille, qui dicit. Non est vestrum scire Tempora, quæ
" Pater in sua posuit potestate.]

32. S. Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi 15. de hac re differens, ait: *Tempus nemo curiosè inquirat: non est enim nostrum scire tempora, quæ DEUS posuit in potestate sua: neq; audeas determinare, quando hæc fient?* S. Chrysostomus Homiliâ nonâ in Epistolam primam ad Thessalonicenses dicit: tam incertum esse tempus consummationis Mundi, quantùm unicuiq; incertus est dies mortis. Venerabilis, & Sanctus Beda Libro de Ratione Temporum Cap. 64 & 66, Sententiam quæ determinatum designat tempus, Mundi finiendi, & Judicii futuri, vocat *frivolam* omnino, &c.

33. Ex dictis sufficienter constat, omnino rejiciendam esse distinctionem cujusdam Vaniloqui, qui illa Verba Salvatoris. *De die autem illa, & hora, nemo scit.* explicabat sic: nemo quidem scit diem & horam, potest tamen nobis certus esse annus futuri Judicii, & finis Mundi. Item: nemo nunc scit diem Judicii, cui non obstat, quòd postea quis, sive per revelationem, sivè aliundè sciturus sit. *Accedit*, Quia (ut sapienter annotavit S. Augustinus in Epistola 78.) *dies* & *hora*, in hujusmodi scripturæ locis, absolutè pro temporis duratione sumitur. Et libro 20. de Civitate DEI, cap. 1. dicit: *Diem poni solere pro Tempore, nemo, qui literas Scripturarum sanctarum quantum libet negligenter legerit, nescit.* Non igitur nos solùm latet, qua die, vel horâ, strictè, & in rigore sumptis, futurus sit finis Mundi, & Judicium; sed absolutè quô Annô, seu (quod idem est) post quem annorum numerum futurum sit. Item, dictio hæc Christi Domini. *Nemo scit*, ad sequentia etiam tempora extenditur; quasi diceret Salvator, *nemo scit, nec sciet*; Nam ut ait Theophilactus, Archiepiscopus Bulgarorum, qui vivebat Anno 1070. *hoc*

dum

dum dicit, etiam prohibet eos anniti, ut discant postea. Quod enim Salvator nescit, quis scit?

Ad meliorem, & uberiorem intelligentiam dictorum in hac Quæstione.

34 *Nta imò.* Si quæratur. Utrum saltem veniente jam Antichristo, scient homines tunc viventes, diem Judicii certum? siquidem Antichristus regnaturus est annis tribus cum dimidio, & postea, 45. dies superfuturi sunt; ut colligunt multi Interpretes cum S. Hieronymo, ex Danielis Capite 12; ubi cùm Angelus indicasset, Regnum Antichristi duraturum mille ducentos nonaginta dies; id est, Tres annos cum medio, & insuper diebus tredecim; addit: *Beatus qui exspectat, & pervenit, usq; ad dies mille trecentos triginta quinq;*, qui numerus dierum, superat priorem (qui est Regni Antichristi) diebus quadraginta quinque. *Respondetur.* Cum Cardinali Bellarmino in Apologia pro Responsione ad librum Jacobi Regis Angliæ, Cap. 10. Quòd neque illi Homines certò scient diem, neque horam, qui visuri sunt Antichristum: Nam licèt dies 45. Daniele teste exspectandi erunt post mortem Antichristi; tamen scriptura non dicit, diem Judicii non esse longiùs prolongandum; Itaquè scient illi homines diem Judicii, non esse exspectandum ante diem 45. ab Antichristi cæde, sed an diutiùs differendus sit, ignorabunt. Sicut autem in diebus Nòé multi fuerunt increduli, licèt Nòé, & verbô & exemplô, id est, Fabricatione Arcæ, prædicaret diluvium futurum; & imparati, & oscitantes à diluuio oppressi sunt, sic erit in novissimis diebus: prædicabunt Servi DEI Judicii diem non longè abesse, imò etiam instare & imminere: Tamen Filii hujus sæculi more solito, de iis, quæ Mundi sunt cogitabunt, & quando ipsi minùs putabunt, Filius DEI Judex adveniet.

An saltem jam veniente Antichristo scietur tunc determinatè dies Judicii.

35. *Accedit.* Quia (ut dicit Doctissimus Pater Lessius Lib: 13. de Perfectionibus Divinis Cap. 19.) Valdè credibile est

post

post necem Antichristi, DEUM concessurum plùs temporis, quàm quadraginta dies: ut scilicet Judæi, & alii infideles, quos ipse jam tot plagis, prodigiis ac terroribus, ad fidem disposuit, possint, instrui, & converti; & ubi conversi fuerint, DEUM colere, Eique gratias agere. Hoc enim pietati & misericordiæ Divinæ valdè consentaneum; idcirco enim tot prodigia præmisit, & Antichristum cum suis delevit, ut qui prostrati fuerant, possint resurgere, & omnes infideles converti. Hinc Liranus & Dionysius Carthusianus, in Caput 5tum Epistolæ 1mæ ad Thessalonicenses, docent, occisô Antichristô, ejusquè falsitate defectâ, totum Mundum ad Christum convertendum. Eruditissimi Interpretes Sacræ Scripturæ, P. Ribera in Caput 20 Apocalypsis & P. Barradias, Tomô 3tiô, Lib. 9 Cap. 7. & quidam alii, ex Capite 39. Ezechielis, probabiliter colligunt, cæsô Antichristô, Mundum postea duraturum saltem ad septem annos.

An Solus DEUS Pater scit consummationis sæculi & Judicii diem & horam, non verò etiam Filius?

36. *Nota 2dò.* Dum Christus Dominus dicit Matthæi 24. versu 36. *De die autem illa & hora, nemo scit, nisi solus Pater.* Per hanc dictionem *Solus* non excluditur Filius, nec Spiritus Sanctus; hi enim æquè sciunt horam & diem Judicii, sicut Pater; siquidem eadem numero est Essentia, Majestas, Scientia, Intellectus & Voluntas essentialis in omnibus tribus Personis Divinis. Et universalis est omnium Theologorum Regula, quòd dictio hæc *Solus*, si addatur attributis essentialibus DEI, (quale est scientia) tribuaturquè uni Personæ Diuinæ, non excludat reliquas duas, sed tantummodo creaturas, quæ alterius sunt essentiæ, & naturæ: In attributis verò notionalibus, dictio hæc *Solus* excludit alias Personas Divinas. Ut cùm dicitur: Solus Pater generat; Solus Filius generatur; Solus Spiritus Sanctus spiratur.

37. *Neq; dicas*: Utiquè Christus Dominus Marci 13. versu 32. expressè dicit: *De die autem illa vel hora nemo scit, neque Filius, nisi Pater.* Et ita habet textus Græcus, Latinus, Syrus, Arabicus, Ægyptius, Æthiopicus, Persicus. Antequam Respondeam.

Præmitto

Præmitto 1mò. S. Ambrosius Tomô 2dô. lib. 5. de Fide. Cap. 7. dubitabat, an illa particula *neq; Filius* non sit adjecta ab Arrianis. unde ait: *Veteres non habent codices Græci, quòd nec Filius scit. Sed non mirùm si & hoc falsârunt Arriani, qui scripturas interpolavêre Divinas.* Idem senserunt nonnulli alii, etiam ex eo: quia apud S. Matthæum non reperitur illa particula: *nequè Filius*, Verùm nunc, præsertim post Concilium Tridentinum, dubitari nequit, spectare verè ad textum S. Marci particulam illam: *nequè Filius.* quin asserit Dominicus Soto, celebris Theologus Thomista in 4tū. Distinctione 43. Quæst. 2dâ. Art. 2dô. [Cùm Marcus quasi Epitomen Matthæi fecerit, bona est conjectura, etiam apud eundem Matthæum, similiter fuisse scriptum. "
neq; Filius. Et ita ait S. Hieronymus, aliqua exemplaria habuisse, tam latina, quàm græca. Et Origenes in Homiliis super Matthæum, eandem etiam legit voculam, & S. Chrysostomus eodem locô. Sed est verosimilè, ut ex S. Hieronymo colligitur, aliquos nimiùm cautos, Arrianorum tempore, eandem vocem abrasisse, ut eis ansam auferrent, dicendi, Filium esse Creaturam. Unde & Augustinus lib. de Verbis Domini, Sermone 21. super Matthæum, eodem modô legit]

38. *Præmitto 2dò.* Certùm est, Christum Dominum etiam ut hominem scivisse & scire diem & horam Judicii.

Ratio est. Tum quia in Christo Domino, ut ait S. Paulus ad Collossenses cap. 2. *Sunt omnes thesauri Sapientiæ, & Scientiæ. In Ipsoq; complacuit omnem plenitudinem habitare.* ad Coloss. 1mo. Tum quia ignorantia Ejusmodi repugnat Dignitati Personali Christi Domini, & muneri supremi Judicis. Et certè, siquidem Christo Domino quatenus Redemptori, congruit esse Judicem totius Generis humani, eadem de causa congruit, ut sciat, quandonam ad Judicium venturus sit. *Accedit.* Tum quia Christus prædixit omnia signa diei Judicii, tam antecedentia, quàm subsecutura; quomodo ergo ignorare poterat diem Judicii? Tum quia, Agnoitæ, sunt tanquam Hæretici damnati ab Eccle-

ab Ecclesia, quòd docuerint Christum ut hominem verè ignorâsse illum diem saltem eô tempore, quô verba illa protulit Marci 13. v. 32. Hîs præmissis.

39. *Ad Objectionem* petitam ex textu S. Marci Respondetur benè cum Sanctis Patribus, Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Chrysostomo, Beda &c. Ideò Christus Dominus negat se scire diem illum Judicii, quia velut sub secreto illud sciebat, & non ad reuelandum aliis. Sicut rectè Confessarius negat se scire illa quæ sub sigillo confessionis audivit. Congruit hæc expositio, prudenti, & communi etiam loquendi modo, quô ea quæ sub secreto accepimus, nescire dicimur.

An Beati in VERBO seu in Essentia DEI cognoscant diem Judicii?

40. *NOTA 3tiò.* Ex dictis sufficienter constat, ignotum esse illum diem Judicii, Angelis, & hominibus, saltem quantùm ad eorum cognitionem naturalem, & quantùm ad supernaturalem in proprio genere. An verò Angeli & Sancti in Cœlo, Visione beatificâ in VERBO, illum diem videant; controvertitur inter Theologos. Alphonsus Tostatus in cap. 24. Matthæi Quæst. 209. cum nonnullis aliis affirmat, quòd tali ratione sciant diem Judicii; Non tamen viatoribus manifestandum. Tostatus inquam Episcopus Abulensis, *Vir* (teste Cardinali Bellarmino in libro de scriptoribus Ecclesiasticis.) *Sanctitate & Doctrinâ celeberrimus*, qui vixit Annô Domini 1440. Negat id verò præter alios, primæ magnitudinis Theologus inter Thomistas, Dominicus Soto. Magnus Suarez censet, verisimiliùs esse, quòd Angeli, & alii Beati non cognoscant in VERBO diem Judicii. Addit tamen hæc. *Quod tamen regulariter intelligendum est; Nam fortasse à Beata Virgine cognoscitur dies ille.*

DISPUTATIO II.

De Signis antecedentibus Judicium Universale.

CErtum est multa signa & indicia antecessura esse diem Resurrectionis & Judicii; quænam autem illa sint, constabit ex Quæstionibus in hac Disputatione contentis.

QUÆSTIO I.

Inter signa proximè antecedentia diem Judicii estne Adventus Antichristi? & quisnam, qualisve futurus Antichristus? quisve Ejusdem exitus?

Antequam respondeam.

41 PRœmitto Nomen hoc. *Antcihristus* in sciptura Sacra expressè solùm reperitur apud Sanctum Joannem, in Ejus Epistola prima Cap. 2do. & in Epistola 2da, Cap. 1. implicitè autem in pluribus continetur scripturæ locis, ac in innumeris apud Sanctos Patres; & per illud nomen, denotatur homo iniquus, hostis Christi Domini, eiquè contrarius. Porrò sicut nomen *Christi* bifariam sumitur, primò, propriè, & specialissimè pro quodam eximio & singulari Christo, qui est JESUS Filius DEI vivi: secundò communiter, pro omnibus, qui habent cum Christo Domino similitudinem quantùm ad un- *Nomine Antichristi quid denotatur?*

 ctionem

ctionem; & ita Prophetæ, Reges, & Sacerdotes omnes dicuntur Christi, Psalmo 114. *Nolite tangere Christos meos*: pari modo, nomen *Antichristi* sumitur dupliciter. Primò pro principali & eximio Christi Domini adversario, de quo agitur 2da ad Thessalonicenses 2do. Joan: 5to. Danielis Capite 7. & 11. & 13. item in Apocalypsi cap. 13. & 17. secundò pro quocunquè Christi Domini adversario, cujusmodi sunt omnes Hæretici, & in hoc sensu dictum est ab Apostolo 1ma Joannis 2do Cap. 2do v. 18. *Nunc Antichristi multi facti sunt*; id est: multi Hæretici, malè de Christo sentientes, de quibus sequitur: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis.* Hanc distinctionem tradunt Sancti Patres, Augustinus Tomô 6to lib: 2do contra Adversarium, Legis, & Prophetarum Cap. 12. ait: *Ad quem pertinet etiam iste, qui se ostendit Antichristum; Non unum illum majorem cæterîs, sed ex his aliquem, de quibus dicit Joannes Evangelista; Nunc Antichristi multi facti sunt. Eos enim dicebat Hæreticos, qui temporibus Apostolorum esse jam cœperant.* Ita passim & alii Sancti Patres loquuntur. Hôc præmissô,

Antichristus quandonam venturus?

42. *Respondeo, Signum Antecedens diem Domini, seu diem Judicii Universalis, erit Adventus Antichristi propriè, & Antonomasticè talîs.* Est id certum ex fide.

Ratio est. Quia S. Paulus 2da. ad Thessalonicenses 2dô. monet, ut nemo sibi persuadeat instare diem Domini, seu diem Judicii, nisi venerit, seu revelatus fuerit Antichristus; ac si revelatio, seu adventus ejus signum sit diei illius imminentis. *Nisi venerit discessio primùm, & revelatus fuerit homo peccati, Filius perditionis; qui adversatur, & extollitur super omne, quod dicitur DEUS, aut quod colitur, ita, ut in templo DEI sedeat, ostendens se, tanquam sit DEUS - Tùnc revelabitur ille iniquus, quem Dominus JESUS interficiet spiritu oris sui.*

Adverte. Non solùm in citato loco Sancti Pauli, sed passim etiam alibi in Scriptura Sacra per, *diem Domini.* Denotatur dies Judicii extremi. ut patet in plurimis Scripturæ locis. 1mâ ad Thes-

ad Thessal. 5to. v. 2do. 2dâ ad Corynthios 1mô v. 14 ad Philippenses 1mô v. 6tô. 2dâ Petri 3tio v. 10. & in Veteri Testamento Jsaiæ cap. 2dô. v. 12. cap. 13. v. 6. & cap. 34. v. 8vô. Jöëlis cap. 2do v. 11. & v. 31. Sophoniæ cap. 1mô. v. 7. & 14. &c.

43. *Confirmatur Responsio.* Authoritate Patrum: S. Irenæus, lib. 5tô. cotra Hæreses cap. 30. *Cùm vastaverit Antichristus omnia in hoc Mundo, regnans annis tribus, & mensibus sex, & sederit in templo Hierosolymis, tunc veniet Dominus de Cœlis in Judicium.*

S. Hieronymus in cap. 11. Danielis, asserit hanc esse receptam Christianorum Sententiam, dum ait: *Nostri & meliùs interpretantur & rectiùs, quòd in fine Mundi hæc sit facturus Antichristus, qui consurgere habet de modica gente, id est, de Populo Judæorum.*

S. Augustinus lib. 20. de Civitate. cap. 30. seu ultimô. *In illo itaq; Judicio, vel circa illud Judicium, has res, didicimus esse venturas: Eliam Thesbitem, fidem Judæorum, Antichristum persecuturum, Christum venturum Judicatum, Mortuorum Resurrectionem.*

S. Damascenus lib. 4tô. cap. 27. *Omnis, qui Filium DEI, ac DEUM in carne venisse, ac DEUM perfectum esse, atque hominem perfectum minimè confitetur, Antichristus est. - Cæterum peculiari ac præcipuô modô Antichristus ille dicitur, qui sub Mundi Catastrophen venturus est.* Similia habent S. Chrysostomus, S. Cyprianus, S. Prosper. &c.

Ad notitiam verò habendam, quisnam qualisve futurus Anchristus, ejusve exitus.

44. *Nota 1mò.* Antichristus futurus verus homo, nec erit persona dæmonis incarnata, ut olim quidam opinati sunt. Ratio est. Quia S. Apostolus 2dâ ad Thessalonicenses 2dô Antichristum appellat hominem, & de illo, tanquam de vero homine loquitur, & addit: interficiendum à Domino JESU tanquam verum hominem. Porro S. Augustinus lib. 20. de Civit. *Antichristus verus purus homo.*

 cap.

cap. 19: citando textum S. Pauli 2. ad Theſſ. 2. *Niſi revelatus fuerit homo peccati.* dicit: *Nulli dubium eſt, eùm de Antichriſto iſta dixiſſe.* Per nullius item Creaturæ defactò ſaltem exiſtentis virtutem, atquè adeò nec per virtutem diaboli, poteſt aliena natura hypoſtaticè aſſumi. Omnesque ferè veteres Patres de Antichriſto loquuntur, tanquam de vero, & puro homine. Refellitq; ſupra nominatum errorem S. Hieronymus in Caput 7mum Danielis & S. Damaſcenus Lib: 4tô. Cap: 27. ait: *Neq; verò, quemadmodùm Dominus Humanitatem aſſumpſit. Ita etiam diabolus, homo efficietur, (abſit enim hoc) Verus homo ex fornicatione parietur, atq; omnem Sathanæ afflatum ſuſcipiet.* Falſum item eſt, Antichriſtum virtute dæmonis eſſe hominem formandum, absque humano ſemine, ex ſola virgine, ſeu fæmina; ut quidam com-
" menti ſunt. [Dæmon enim (ut benè arguit Magnus Suarez)
" non habet virtutem ad formandum, & organizandum verum
" humanum corpus, & hoc facere ſine cauſis ſecundis eſt opus
" ſolius virtutis DEI: qui tantùm in ima hominis creatione &
" in Chriſti Domini conceptione eâ uſus eſt. Tribuere au-
" tem hoc miraculum DEO in generatione Antichriſti, impium,
" ac ſtultum eſt: Tribuere autem illud Dæmoni, erroneum eſt:
" quia eſt attribuere Dæmoni Divinam poteſtatem. Si quis au-
" tem diceret: Antichriſtum generandum eſſe à Dæmone ſuc-
" cubo, & incubo, medio ſemine humano, diceret quidem
" rem incertam, non tamen impoſſibilem, neque erroneam.]

Et quidem unus ſingularis

45. *Nota 2dò.* Antichriſtus propriè talis, eſt futurus aliquis unus ſingularis, & certus homo, ut conſtat ex Scriptura Sacra, quæ ſemper de Antichriſto, ut de uno homine loquitur. Sic Danielis 7mo dicitur de illo, quòd *conſurget poſt decem Reges, & erit potentior illis, & Tres Reges humilitabit.* Item quòd *Regnabit per tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Et Danielis 11. de eodem dicitur, quòd *erit in concupiſcentiis fæminarum, nec quenquam deorum curabit.* Idem conſtat ex Joannis 5to v. 43. & 2dâ ad Theſſalonicenſes 2dô. Verſu 3. & 4. Apocalypſis 13.

psis 13. v. 6. & v. 17. &c. Idque ipsum confirmat consensus omnium Sanctorum Patrum.

46. *Nota 3tiò.* *Nonnulli* (verba sunt Sancti Augustini lib: 19. de Civitate, Cap. 19. *Neronem resurrecturum, & futurum Antichristum suspicantur. Alii verò nec eum occisum putant, sed subtractum potius ut putaretur occisus: Et vivum occultari, in vigore ipsius ætatis, in qua fuit, cùm crederetur exstinctus; donec suô tempore reveletur & restituatur in Regnum. Sed multùm mihi mira est, hæc opinantis tanta præsumptio.* Quin hæc tanta præsumptio est summa simul temeritas; Nam ut benè notat Magnus Suarez) quæ enim major temeritas excogitari potest, quam fingere iniquum ac crudelem Ecclesiæ persecutorem, Divinitùs, ac miraculosè conservari, & revera mortem non subiisse, quàm omnes Historiæ referunt? Aut verò damnatum jam hominem, miraculosè suscitandum esse, ut iterum Ecclesiam divexet? Nec multùm recedunt ab eadem temeritate, qui opinati sunt Machometem fuisse Antichristum propriè talem. *Non Nero.*

47. *Nota 4tò.* Multi ex Patribus, inter quos S. Hieronymus, S. Anselmus &c. censent Antichristum nasciturum Babylone; *ab Aquilone* enim, id est Babylone, quæ Aquilonaris est respectu Hierusalem, *pendetur omne malum*, ut dicitur Jeremiæ 1mô. Et sicut Nembrot, exstruens Babylonicam turrim (ut Genesis 12. legitur) bellum indixerat DEO, à quo Nembrot, deinde Heber, Pater Hebræorum populi DEI, segregatus fuit: Ita in eadem Babylone, conjectura est, supremum Ecclesiæ hostem generandum esse. Lactantius verò Lib. 7mô Cap. 17. opinatur, oriundum ex Syria. Sunt etiam, qui putant eum nasciturum esse in Corrozaim, ibique nutriendum. Plures affirmant Sancti Patres, ut Irenæus, Damascenus, Gregorius, Anselmus &c. eum originem ducturum ex tribu Dan. juxta Prophetiam illam Patriarchæ Jacob Genesis 49. *Fiat Dan coluber in via, Cerastes in Semita.* Sicut enim Dæmon, sub forma colubri primos Parentes adortus est; sic & Antichristus per fraudes *Antichristus ubi & ex quibus Parentibus nascetur.*

des

des & technas plurimos decepturus. Cerastes est serpentis genus callidissimum. Nonnulli suspicantur etiam ob hanc rem à S. Joánne in Apocalypsis Cap. 7mô, ubi Tribus Israél recensentur, quibus signantur Electi, prætermissam esse tribum Dan. Sanctus Damascenus Lib. 4. Cap. 28. sentit, eum nasciturum non ex legitimo Matrimonio, sed *ex fornicaria muliere.* Omnes Patres consentiunt, eum generandum esse ex Judæis, & pro Messia ab iis recipiendum; Colligiturquè id non obscurè ex verbis illis Christi Domini, Joánnis 5tô. *Ego veni in Nomine Patris mei, & non recepistis me; si alius venerit in nomine suo, illum recipietis.* Finget se Antichristus esse non ex Tribu Dan, sed ex Familia David.

Quodnam Nomen ejus proprium?

48. Habiturus est certum nomen constans ex literis, quibus conficitur numerus 666. ut legitur Cap. 13tiô Apocalypsis v. 18. Sapienter tamen annotavit S. Irenæus lib. 5tô adversùs Hæreses Cap. 30. Non posse certò sciri, priusquàm hæc Prophetia impleatur, quodnam illud nomen Antichristi sit futurum; *quandoquidem multa nomina inveniri possunt, habentia prædictum numerum.* ut dicit S. Pater, ipseque citatô locô proponit tria nomina continentia eundem numerum. Et Aretas Archiepiscopus Cæsareæ Cappadociæ, in Caput 17. Apocalypsis proponit alia septem, & alii alia.

Qua ratione consequetur Principatum Orbis?

49. *Nota 5tò.* Antichristi conditio erit ab initio abjecta & vilis, ut Sancti Patres colligunt ex eo, quia Danielis Capite 7mô & 8vô. vocatur *cornu parvulum*, & cap. 12. de ipso dicitur: *stabit in loco ejus despectus & non tribuetur ei honor Regius.* sed postea ope Dæmonis, & per fraudes varias, Regiam consequetur dignitatem; & bellabit contra decem Reges qui deleto Romano Imperio, occupârant omnes ditiones Imperii. Ex horum 10. Regum numero, interficiet Reges tres, nempe Ægypti, Libyæ, & Æthiopiæ & alios septem sibi subjiciet, fietquè Monarcha Orbis. Ut sufficienter constat ex Danielis Cap. 7mô, juxta interpretationem Sanctorum Patrum, ut Hieronymi, illud

Caput

Caput 7. Danielis. Irenæi Lib. 5. Cap. 25. Hippolyti in Oratione de Consummatione Mundi, & aliorum. Legitur verò Danielis Cap. 7. *Considerabam cornua. Et ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum. Et tria de cornibus primis evulsa sunt à facie ejus. Porrò cornua decem, Decem Reges erunt, & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit.* Et Cap. 11. significatur, hos tres Reges futuros Ægypti, Libyæ, & Æthiopiæ. Dum dicitur. *Mittet manū suam in terras, & terra Ægypti non effugiet, & dominabitur thesaurorum auri, & argenti, & in omnibus pretiosis Ægypti; per Lybiam quoq; & Æthiopiam transibit.*

50. *Notâ 6tò.* Postquam Antichristus fuerit consecutus Orbis Principatum, tunc ingenti collecto exercitu ex omnibus Mundi partibus, tam per vim & Tyrannidem, quàm per signa & prodigia falsa, conabitur omni ratione & modô Christianos ad se pertrahere. Legitur enim de illo Danielis 7mo. *Sanctos altissimi conteret.* & Danielis 11. *Veniet in Multitudine Magna, ut conterat, & interficiat plurimos.* & S. Paulus 2dâ ad Thessalonicenses Cap. 2do v. 9. ait. *Cujus est adventus secundùm operationem Sathanæ in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus. Et in omni Seductione iniquitatis &c.* Signa verò illa faciet Tum per se, Tum per suos pseudo Prophetas, de quibus Christus Matthæi 24. dicit: *Dabunt signa, & prodigia magna ita ut in errorem inducantur si fieri potest etiam electi.*

51. *Nota 7mò.* Sedes Antichristi præcipua futura est Hierosolymis. S. enim Joannes in Apocalypsis Cap. 20. dicit. Duos testes Sanctos (de quibus in Quæstione sequenti) pugnaturos cum Antichristo in Hierusalem, & Ibidem, ab illo interficiendos; *& corpora* (inquit) *eorum jacebunt in plateis Civitatis Magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, ubi & Dominus eorum Crucifixus est.* In quem locum ait Aretas, nec non alii Interpretes, *Corpora ipsorum insepulta, projiciet in plateas Hierusalem, in ea enim regnabit tanquam Rex Judæorum.* Ibidem

Sedem præcipuam suam Hierosolymis collocabit.

dem Hierosolymis in Templo Salomonis à se qualitercunquè ædificato, sedebit, imò etiam in Templis aliquibus Christianorum: ut censent Chrysostomus, Theodoretus, Theophilactus, &c. Dicet se esse verum Messiam, & ut legitur Danielis 11. *Magnificabitur adversùs omnem DEUM, & adversùs DEUM Deorum loquetur magnifica, & DEUM Patrum suorum non reputabit.* Tamen saltim occultè adorabit Dæmonem, cujus virtute prodigia falsa patrabit: ut docent plerique Sancti Patres.

Non deserendus ab Angelo Custode?

52. Censent quidam, Antichristum, postquam ad rationis usum pervenerit, ab Angelo suo Sancto Custode deserendum esse, propter nimiam ejus malitiam; & pronitatem ad malum. Quam sententiam Vignerius in Institution. Cap. 21. §. 3. v. 3. tribuit Thomæ Doctori Angelico. Ego verò (inquit Magnus Suarez) in S. Thoma, id non reperi. Ast S. Antoninus 4tâ Parte. Titulo 13. cap. 4. §. 3. ait. *Quamvis Angelus bonus ei non subtrahetur ad Custodiam, tamen postquàm incipiet malitiâ uti, nullum effectum custodiæ in eum exercebit, eô obstinatô.* Addit Suarez [Non est verisimile Antichristum esse deserendum ab Angelo Custode, quantum est ex parte Angeli, quia semper paratus erit, ad custodiendum illum; quia quamdiu ille est viator, commissus erit curæ, & custodiæ sui Angeli.]

Quot Annis Regnabit.

53. *NOTA 8vò.* Antichristus postquam adeptus fuerit Orbis Imperium, nonnisi Regnabit tribus Annis cum dimidio, ut habetur Danielis 7mo. v. 25. *Per tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Item Apocalypsis 11. v. 2dô. *Mensibus 42.* Et ibidem versu 3tiô. *Diebus mille, ducentis sexaginta.* Unde S. Irenæus Episcopus, & Martyr, qui vivebat annô Christi 180. scribit lib. 5tô adversùs Hæreses cap. 30. *Regnabit Antichristus annis tribus, & mensibus sex.* Et S. Augustinus lib. de Civitate DEI cap. 33. ait, *Antichristi adversùs Ecclesiam, Sævissimum Regnum, licèt exiguô spatiô temporis sustinendum, qui vel dormitans hæc legit, dubitare non sinitur; tempus quippe & tempora & dimidium temporis, Annum unum esse & duos, & dimidium, ac per hoc tres annos,*

Semissem

Semissem, etiam numerô dierum posteriùs positô dilucescit aliquando in Scripturis, & Mensium numerô declaratur. Similia habent S. Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus, Catechesi 15. Theodoretus in Caput 7mum Danielis, & alii passim.

54. *Nota 9nò.* Postquàm Antichristus expleverit in Regno suo annos tres & medium, [ut probet se esse Christum, quasi Simia Christi (ait doctissimus Cornelius à Lapide in caput Danielis 11.) finget se mori, & post mortem ad vitam resurgere; Unde S. Gregorius lib. 11. Epist. 3tiâ dicit. *Antichristus simulaturus est se mori, ac resurgere.* Post hypocriticam hanc resurrectionem, coram omni populo ascendet in montem Oliveti, voletq; instar Christi in Cœlum ascendere, Ex quo primitùs se descendisse mentietur: & tollent eum in àëra Dæmones, sumentes speciem Angelorum cunctis administrantibus, & Divinitati ejus acclamantibus, inquit Pererius, sed mox à Christo Domino per Michàëlem deturbabitur in tartara. Ideoquè Haymo in Isaiæ cap. 11. ait: *Occidetur Antichristus sicut Doctores tradunt, in monte Oliveti, in papilione, ac solio suo in loco illo contra quem Dominus Cælum ascendit.* S. Hieronymus in cap. 11. Danielis testatur, id esse ttaditionem *Scriptorum Ecclesiasticorum*, colligiturquè id ex Daniele ibidem, cum de Antichristo ait. *Et fiet tabernaculum suum Apadno* (seu in Apadno, ut legit S. Hieronymus, Theodotion, & Aquila: videturquè esse proprium nomen loci in Judæa, à solio Antichristi, quod ibi ipse collocabit sic appellandi) *inter maria* (nempè in Judæa, & fortè in Hierusalem, quæ sita est inter mare mortuum, & Mare Mediterraneum) *Super montem inclytum & Sanctum, & veniet usq; ad summitatem ejus, & nemo auxiliabitur Ei.* Et Isaiæ cap. 25. legitur. *Præcipitabit Dominus in Monte Sancto faciem Domininatoris tenebrarum super omnes Gentes.* *Ubi, & à quo interficietur?*

55. A Christo Domino interficiendum esse Antichristum, est indubitatum; Nam S. Paulus id expressè asserit. 2dâ Thessalonicenses 2dô inquiens, *Quem Dominus JESUS interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventûs sui.* Idquè longè ante

a ntèprædixit Jſaias cap. 11. Verbis illis: *Spiritu labiorum ſuorum, interficiet impium.* Controverſum tamen eſt, an illic Antichriſtus interficiendus ſit, ab ipſomet Chriſto corporaliter illuc adveniente, an id perficiendum miniſteriô Angelicô ex Chriſti imperio. Primum affirmat S. Damaſcenus lib. 4. cap 27. & S. Anſelmus 2dâ ad Theſſalonicenſes 2dô, propendentquè in hanc affirmationem multi Theologi Scholaſtici, cum Patre Gregorio de Valentia. 2dum aſſerunt, S. Petrus Damiani Opuſculô 59. S. Thomas 2dâ, ad Theſſalonicenſes 2dô *Lect.* 2dâ & uterquè dicit à S. Michàële Archangelo, juſſu Chriſti interficiendum Antichriſtum; conſentiunt huic aſſertioni plurimi Theologi, & Noſter Cornelius à Lapide. Videturquè hæc aſſertio ſaltem multùm eſſe probabilis. Tum ex eo, quia S. Michàël, Luciferum, ejuſq; exercitum dejecit de Cœlo; unde congruum videtur, ut & Luciferi præcipuum inſtrumentum, impiiſſimum Antichriſtum in tartara deturbet. Tum quia Propheta Daniel cap. 12. v. 1. ait: Quòd tunc conſurget Michàël Princeps Magnus in prælium pro Chriſto, & Chriſtianis decertaturus. Sicut ergo Rex per Ducem gerit bellum, & conficit hoſtem; Ita Chriſtus per Michàëlem conficiet Antichriſtum; hic enim eſt Præſes Eccleſiæ, ideoq; Dux Chriſti. Unde & Apocalypsîs 12. ponitur Dux Belli Chriſtiani, quo ſcilicet in fine Mundi cum Lucifero, & Antichriſto, confliget pro Chriſto & Chriſtianis, ac Antichriſtum profligabit. Rectaq; ſubordinatio Divinæ Providentiæ videtur id exigere: ſolet enim DEUS ſua judicia exercere per Angelos: hi enim ſunt adminiſtratorii ejus ſpiritus. ad Hæbreos 1mô. v. 4tô. Ita ratiocinatur Cornelius à Lapide. Lactantius lib. 7mô. cap. 17. & 18. cenſet, quòd ipſemet Chriſtus Dominus in àëre ſit cum Antichriſto pugnaturus, & ex prælio Victoriam reportaturus. Id tamen non immeritò cum aliis Pater Theophilus Raynaudus Tomô 2dô, ſect: 4tâ, num. 472. erroneum & fabuloſum eſſe aſſerit.

Calvini & Lutheri graviſſima calumnia in Rom. Pontificem.

56. *Nota iomò* & ultimò. Hæreſiarcha Joannes Calvinus in Explanatione Epiſtolæ, 2dæ ad Theſſalonicenſes Cap. 2dô ait:

Quis-

Quisquis à scriptura edoctus erit, quænam DEO maximè sint propria; & ex adverso intuebitur, quid sibi Papa usurpet, etiamsi puer sit decennis, non multùm laborabit in noscendo Antichristo, quòd scilicet Papa sit Antichristus. Lutherus etiam Tum alibi, tùm præcipuè in Libro suo fædissimo, maledicentiâ & blasphemiîs referto, cui titulus, *Adversus Papatum Romæ à Satana fundatum* dicit; *Omninò evidens est, quòd Papa sit Antichristus, Monstrum de quo Daniel dicit: quod adversatur omni DEO Deorum, &c.* Quidã etiam dictorũ Hæresiarcharum impudentissimi Asseclæ, contrucidatæ honestatis, & Veritatis tenebriones, in Libris à se editis, non erubuerunt asserere, quantâ certitudine ac evidentiâ demonstratur DEUM existere, eâdem certitudine & claritate demonstratur, Papam esse propriè & Antonomasticè Antichristum in Sacra Scriptura prænuntiatum. Prædictorum Hæresiarcharum, & eorum Assεclarum dicta, & asserta, esse à vero maximè aliena, & summè calumniosa, sufficienter ex dictis in hac Quæstione constat.

57. *Addo.* Si & decenni puero facilè est nosse, Papam esse Antichristum, ut blaterat Calvinus; Cur id retròactis Sæculis, cum suis Sanctis Patribus, Conciliis, Academiis, Universitatibus, Regibus, Principibus, ignoravit universus Orbis Orthodoxus, & hucusquè ignorat? Item, itane omnes Majores Nostri Christiani, quotquot in Polonia, Germania, Gallia, Hispania, Anglia, Svecia, Dania &c. fuerunt usquè ad tempora Lutheri, & Calvini, scilicet ad Annum Christi 1515. (nam Zwinglius annô 1516.; Lutherus 1517: Calvinus circa annum 1525. suas hæreses exorsi sunt) fuerunt inquam Antichristiani, & ad Inferorum pænas damnati.

58. Insuper. Quâ ratione est evidens Luthero, Papam esse Antichristum, siquidem ipsemet Lutherus adhuc anno 1518, die SS. Trinitatis ad Leonem X. Papam in Præfatione, in Resolut: Indulgent: scribit hæc: *Beatissimè Pater, prostratum me pedibus*

pedibus Beatitudinis Tuæ offero, cum omnibus quæ sum, habeo. Vivifica, occide, voca, revoca, approba, reproba, ut placuerit. Vocem Tuam, vocem Christi in Te præsidentis, & loquentis agnoscam. Et Annô 1519. 3tiâ Martii scripsit Epistolam ad eundem Leonem Papam, in qua continentur etiam hæc: *Plenissimè confiteor, Romanæ Ecclesiæ potestatem esse super omnia; nec ei præferendum quidquam sivè in Cælo, sivè in terra, præter unum JESUM Christum Dominum omnium.* Imò adhuc annô 1520. 6tâ Aprilis ad eundem Leonem X. scripsit. (exstat hæc Epistola Tomô 2dô Lutheri, Epist: 166.) *Celebratior* (inquit) *& augustior est in omni terrarum Orbe tot tantorumq; Virorum literis cantata opinio, & Vitæ Tuæ inculpatæ fama, quàm, ut à quovis, vel maximi nominis possit quavis arte impeti. Non sum tam stultus, ut eum incessam, quem nemo non laudat.*

59. *Adverte.* Consuetum esse Hæreticis, (longaquè id inductione constat) ut dum aliquod grande paradoxum statuunt contra Orthodoxos, pleno ore clamare: id esse clarissimum etiam idiotis, & ipsis pueris; quod & hìc suprà facit Calvinus & Lutherus. Et certè omnis eorum, & aliorum Hæreticorum Demonstratio, (quòd nempe Papa, sit Antichristus) vel nudâ eorum assertione, vel patentibus mendaciîs, vel Scripturæ Sacræ depravatione, aut contorsione nititur.

QUÆSTIO II.

An proximè ante Judicium Universale venturi sunt Elias, Enoch, vel Jeremias, Moyses, vel Joannes Evangelista?

Sub tempus Antichristi venient Prophetæ duo.

60 R*Espondetur imò.* Sub tempus Antichristi Regnantis, & severissimè persequentis omnes Fideles, mittentur à DEO duo Prophetæ de quibus S. Joannes in sua Apocalypsi cap. 11. tradit hæc: 1. *Amicti Saccis,* seu Ciliciô. *propheta-*

phetabunt diebus mille sexcentis & sexaginta. 2. *Habebunt potestatem claudendi Cælum, ne pluat diebus Prophetiæ ipsorum. Et super aquas, convertendi eas in sanguinem.* 3. *Cùm finierint testimonium suum, bestia,* (id est Antichristus) *occidet eos.* 4. *Eorum corpora jacebunt in plateis Civitatis Magnæ &c. ubi Dominus Eorum Crucifixus est:* id est in Hierusalem. 5. *Jacebunt ibi per tres dies, cum dimidio.* 6. *Post tres dies, & dimidium resurgent, & plurimis aspectantibus ascendent in Cælum.*

Respondeo 2dò. Ex illis duobus Prophetis mittendis, certùm est ex Sacra Scriptura, & Sanctis Patribus, fore unum, Eliam Thesbiten. *Ratio est.* Quia Malachiæ Cap. 4. v. 5. dicitur; *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* Clarum verò est, Prophetam loqui de die Judicii magno & terribili, ante quem Elias venturus promittitur. Et Auctor Ecclesiastici Cap. 48. v. 9. & 10. De Elia ipso loquens & ad Malachiæ testimonium alludens, ait. *Qui receptus es: in turbine ignis, in turbine equorum igneorum: qui inscriptus es in Judiciis temporum lenire iracundiam Domini, convertere cor Patris ad Filium, & restituere tribus Jacob.* Et Christus Dominus Matthæi 17. Versu 12. ait: *Elias quidem venturus est, & restituet omnia.* *Elias scilicet.*

Confirmatur 2da Responsio, Auctoritate Patrum qui ex Divinis literis idem docent, ut videre est apud Bellarminum Lib. 3. de Romano Pontifice. Et, apud Eundem Cap. 11. Apologiæ contra Jacobum Magnæ Britanniæ Regem; Suarez Lib. 5tô contra eundem Jacobum, Coccium, Tomô 2dô Librô 10. &c. Innuo aliquorum Patrum testimonia. S. Methodius Episcopus Tyri, qui claruit tempore Diocleciani Imperatoris; Et Annô ejus 20. Martyriô Coronatus est, In Libro suo de rebus quæ ab Initio Mundi contigerunt &c. sub finem, ait. *Continuò mittet DEUS suos famulos sincerissimos, & Carissimos, Enoch, & Eliam, ad redargundum Antichristum, &c.* Tertullianus Lib. de Anima, Cap. 50. *Translatus est Enoch, & Elias, nec mors eorum reperta*

est, dilata

eſt, dilata ſcilicet. Cæterum morituri reſervantur, ut Antichriſtum ſanguine ſuo exſtinguant. S. Ephrem de Antichriſto propè finem. *Cæterùm priusquàm cuncta iſta fiant, mittet miſericors DEUS Eliam Thesbiten, & Enoch, qui palàm populo prædicent, ne illi credant Antichriſto.* S. Auguſtinus Lib. 20. de Civitate DEI, Cap: ultimô. *In illo Judicio, vel circa illud, didicimus eſſe futurum Eliam Thesbiten.* Similia habent præſertim de Sancti Eliæ adventu, S. Chryſoſtomus Homiliâ 58. in Matthæum. S. Hilarius Cap. 17. in Matthæum, S.Hieronymus in Caput 17. Matthæi &c. Eratquè id etiam temporibus S. Auguſtini communis Eccleſiæ Senſus. Unde Lib. 20. de Civitate DEI Cap. 29. exponens locum citatum ſuprà S. Malachiæ Cap. 4tô, ait: *Per hunc Eliam magnum mirabilemq; Prophetam expoſitâ ſibi lege ultimô tempore ante Judicium, Judæos in Chriſtum noſtrum eſſe credituros, Celeberrimum eſt in Sermonibus Cordibusq; Fidelium.*

Et Enoch.

61. *Reſpondeo 3tiò.* Etſi de Enoch non habeantur tam expreſſa teſtimonia ex Scriptura Sacra, & tam multa ex Patribus, ut de Elia, tamen ſaltim, probabiliùs videtur, ſecundùm Prophetam, qui cum Elia venturus eſt tempore Antichriſti, futurum Enoch.

Probatur. Tum quia Eccleſiaſtici Cap. 44tò. v. 17. dicitur. *Enoch translatus eſt, ut det Gentibus Pænitentiam.* Et S. Paulus ad Hebræos Cap. 11. v. 5to dicit: *Enoch translatus eſt, ne videret mortem.* Tum quia communiſſimè ita ſentiunt Sancti Patres, eſtq; hæc Traditio antiqua in Eccleſia DEI.

Cur hi duo venturi?

62. Cur autem potiùs DEUS per Enoch, & Eliam, quàm per alios, voluerit Mundum præparare ad adventum ſuum, ſolet afferri congruentia hæc: Tum ut admirabilior eſſet prædicatio, & Teſtificatio eorum, ex tam antiquis ætatibus ad munus hoc prædicandi reſervatorum. Tum etiam, ut oſtenderetur idem DEUS eſſe Auctor omnis Legis, Naturæ, Scriptæ, & Gratiæ, atquè idem Chriſtus, eadem Fides, quæ ab initio Mundi uſquè ad Finem ejus prædicatur, & in eadem militante Eccleſia perſeverat.

63. Re-

63. *Respondeo 4tò.* Non videtur probabile, Jeremiam Prophetam, loco Enoch futurum socium Eliæ, temporibus Antichristi. Hæc Responsio est contra Victorinum, Pictabionensem Episcopum, & Martyrem. (Floruit is annô Christi 270.) Qui in Commentario suo in Caput II. Apocalypsîs (si tamen genuinus est ipsius ille Commentarius, nam à Bellarmino Cardinali, & aliis quibusdam dubitatur) scripsit, Jeremiam fore, & solum, Eliæ Socium, ante Adventum Christi ad Judicium. Quam Victorini Opinionem quidam alii veteres secuti sunt; ut refert S. Hilarius Canone 20 in Matthæum. *Jeremias non venturus,*

Ratio Responsionis Nostræ est. Quia illa Opinio Victorini nullum habet in Sacra Scriptura fundamentum, nec ulli gravi Rationi innititur. Quod enim dicitur à Patronis illius Opinionis; Jeremiam non esse mortuum, cùm in scriptura nulla fit mentio illius mortis: Id frivolum est. Numne omnes homines vivere censendi sunt, de quorum morte nulla fit mentio in scriptura? Constat item ex S. Epiphanio & S. Isidoro, Jeremiam Lapidibûs obrutum esse à populo; ac mortuum, & sepultum esse in eo loco, ubi Pharao habitaverat, eximioquè in honore ejus sepulchrum ab Ægyptiis esse habitum. Verba autem illa scripturæ, Jeremiæ Cap. 1mo: *Antequam exires de Vulva sanctificavi Te, & Prophetam in Gentibus dedi Te.* Non sic intelligenda sunt, quòd Jeremias aliquando esset concionaturus Gentibus, adeoq; venturus ante diem Judicii, ut Gentibus prophetet, sed quia non tantùm in Judæa, verùm etiam Babyloniæ, & in Ægypto prophetavit, scribendo ad Judæos, qui ibi morabantur; & quia in sua Prophetia, non solùm de rebus ad Judæos spectantibus, sed etiam ad Gentes, prophetavit, scilicet de Assyriis, Ægyptiis, & aliis, ut explicat S. Hieronymus & alii Interpretes.

64. *Respondeo 5tò.* Est Sententia Veterum quorundam Catholicorum, item S. Hilarii, S. Ambrosii, nec non Jansenii, Gagnei, Catharini, Joannis Arborei, Patris Maldonati, & aliorum, est inquam sententia asserens, S. Moysen futurum socium Eliæ *Quinam censuerunt Moysem venturũ cum Elia? & quam ob causam?*

Eliæ adversùs Antichriſtum. Ex citatis Auctoribus, appono aliquorum Rationes, eorumvè verbîs.

S. Hilarius Pictavorum Epiſcopus (floruit annô Chriſti 355.) Doctor Maximus, & Eccleſiæ Catholicæ Columen meritò habitus eſt. Ut ſcribit Card. Bellarminus Librô de Script: Eccleſiſt: Tantus Eccleſiæ Doctor, Canone 20 in Matthæum habet
" hæc. [Chriſtus Dominus, aſſumptis Petrô, & Jacobô, &
" Joanne, apparuit cum gloriæ ſuæ habitu, Moyſe & Elia in
" Monte Comitantibus. Et hos quidem eoſdem Prophetas
" duos prævenientes adventum Ejus intelligimus, quos Apo-
" calypſis Joannis Cap. 11. ab Antichriſto perimendos eſſe dicit.
" Licèt variæ vel de Enoch, vel de Jeremia, plurimorum ex-
" ſtiterint Opiniones, quòd alterum eorum, ſicut Eliam mori
" oporteat. Sed non poſſumus veritatis fidem, quam Dominus
" tribus ſuperioribus teſtibus revelavit, ſensûs nôſtri opinione
" corrumpere; nequè alios venturos exiſtimare, quàm qui ad
" ſponſionem Fidei veniſſe conſpecti ſunt.]

Cornelius Janſenius, non ille Iprenſis Infulatus, cujus Propoſitiones quinque graviter erroneæ damnatæ ſunt ab Eccleſia, ſed Cornelius Janſenius, Gandavenſibus Infulîs, & Theologicis Lucubrationibûs celebris, ac eruditis voluminibûs, ſed maximè concordiâ Evangelicâ, quibus libris rem Catholicam probè illuſtravit, incorruptæ limæ ſcriptor. Hic inquam Jan-
" ſenius, in ſua Concordia Evangelica Cap. 67. ait [Moyſes &
" Elias pro DEI gloria, multa gravia, uſquè ad Vitæ frequenter
" diſcrimen perpeſſi ſunt, ut nulli alii ante Chriſtum magìs: Hi
" duo teſtes videntur notari, & Apocalypsîs Cap. 11. circa 2dum
" Domini adventum, dum dicitur: *Dabo duobus teſtibus meis,*
" *& prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta amicti ſaccîs.* Sed
" & Malachiæ ultimô, ubi promittitur adventus Eliæ ante noviſ-
" ſimum Meſſiæ adventum, præmittitur de Moyſe; *Mementote*
" *legis Moyſis Servi mei, quam mandavi ei in Horeb, ad omnem*
" *Iſràël præcepta & Judicia.*]

65 Pater

65. Pater Joannes Maldonatus in Matthæi Cap. 17. scribit hæc: [Joannes in Apocalypsi cap. 11. v. 3. & 6. tam apertè scribit, " Moysen & Eliam esse venturos, ut nemo non solùm sine te- " meritate, sed nec sine impudentia negare possit. *Et Dabo* " (inquit) *duobus Testibus meis, & prophetabunt diebus mille du-* " *centis sexaginta amicti saccis.* Quos, qui futuri sunt, statim " describit. *Hi habent potestatem claudendi Cælum, ne pluat die-* " *bus Prophetiæ ipsorum.* Quis non videt Eliam? *& potestatem* " *habent super aquas convertendi eas in sanguinem, & percutere ter-* " *ram omni plagâ quotiescunq; voluerint.* Quis non videt Moy- " sen quasi digitô demonstrari? *Accedit*, quòd hæc Ratio potissi- " ma fuit, cur Moyses & Elias potiùs, quam alii ex Prophetis, " Domini transfigurationi interfuerunt; quia voluit Christus " futurum suum adventum tribus illis Apostolis ante oculos po- " nere; & quia in 2do adventu suo Moyses & Elias sunt præ- " mittendi, ut ejus viam, quemadmodum in priori Adventu " Joannes fecit, præparent, adesse eos voluit. Deniquè hæc " omnium veterum Auctorum Opinio fuit. De Elia quidem " constantissima, ac nemine dissentiente; de Moyse minùs " constans; nam secundum secundi Adventûs Domini testem, " alii Moysen, alii Enoch futurum esse tradiderunt.]

66. Præter allegatas Rationes pro Adventu Moysis cum Elia, petitas Tum ex apparitione duorum horum in Domini transfiguratione. Tum ex Capite 11. Apocalypsis, sensuquè multorum Veterum, & Recentiorum solet etiam hæc (ut refert P. Lessius in sua Disputatione de Antichristo) allegari Ratio: Quia scilicet, totum quod gessit Moyses in Ægypto, figura erat eorum, quæ gerenda sunt sub finem Mundi. Ægyptus enim designat Mundum, Pharàó cum suis Ægyptiis, Antichristum, cum omnibus impiis ipsi adhærentibus; plagæ Ægypti, plagas, quibus tunc ferietur Orbis: Eductio Filiorum Isràël per mare rubrum in terram promissionis, Liberationem Populi DEI, per sanguinem Christi, ab impiis in Regnum Cæleste: submersio Pharao-

nis & exercitûs ejus, submersionem impiorum in abyssum inferorum. Sicut Ergo Moyses cum Aarone præfuit in Typo, ita cum Elia adfuturus in signato.

Authoris Opinio de illa sententia.

67. *Ego censeo ob dictas Rationes, suprà nominatorum Authorum Sententiam esse probabilem.* Probabiliorem tamen [etiam ex eo, quia communior est Sanctorum Patrum] sententiam, quæ asserit Enoch cum Elia venturum. Præterea, Probabiliorem etiam ex eo judico hanc sententiam, quòd eam sensus communis Fidelium amplectatur, non tamen videtur ut omnino improbabilis repudianda sententia, quæ assereret Moysen unà cum Enoch & Elia futuros Præcursores secundi Adventûs Christi Domini.

Probabile est, S Ioannē Evāgelistam venturum cum Enoch & Elia.

68. *Respondeo 6tò. Est probabilis Sententia eorum, qui sentiunt, Joannem Evangelistam venturum cum Enoch & Elia adversùs Antichristum.* Ita sentiunt præter alios plurimos, ut patebit infra, Ambrosius Catharinus Episcopus Minoriensis, post Archiepiscopus Compsanus, ex Celebri ordine Prædicatorum in Tractatu suo, de Gloria Christi consummata. P. Alphonsus Salmeron unus ex primis decem Patribus Societatis JESU, Tomô XI. Tractatu xxxii. Propendet item in hanc sententiam, & pro ea citat S. Nazianzenum, P. Sebastianus Barradias S. J Doctor Thdologiæ (in Historiæ Evangelicæ Concordiam editîs Tomîs 4. clarissimus) tractans Versum 23. in Cap. 21. S. Jòánnis. Prædicta autem sententia.

Probabilitas hujus sententia, multifariè probatur.

Probatur imò Auctoritate Sacræ Scripturæ Christus Dominus Marci Cap. 10. Filiis Zebedæi, Joanni & Jacobo. dixit: *Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis, & baptismô, quô ego baptizor, baptizabimini.* Et Matthæi 20. *Calicem quidem meum bibetis.* Nomine autem Calicis mors ipsa propriè significatur: sic enim ipse Christus ait Petro, Joannis 18. *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum?* Unde S Chrysostomus Homiliâ 66. in Matthæum, illa verba ita explicat: *Calicem quidem meum bibetis.* &c. *Magna vobis bona certè prædico: Martyrii enim coronâ potiemini, & violentâ morte, sicuti & ego, à vita decedetis.* Et

Euthimi-

Euthymius (qui floruit Anno 1118) in eadem verba Christi Domini scribens, dicit Joannem in sæculi consummatione cum Elia & Enoch occidendum: Quia ille necdum Martyrii mortem sustinuit, & nondum mortuus est, sed adhuc vivit. Et sicut Jacobus frater Joannis primus inter Apostolos occisus est. Ita Joannes Apostolorum nouissimus censetur futurus Martyr. Nequè valet dicere, Joannem, animô, & voluntate Martyrem extitisse. Quia Christus Dominus non dixit, Parati eritis bibere calicem, & mori pro me; sed bibetis, & baptizabimini; ubi eventus ipse futurus à Christo denotatur.

69. Respondet quidem S. Hieronymus, verba illa Christi *Calicem quidem meum bibetis*, impleta esse, quando S. Joannes in ferventis olei dolium missus est: Vel Ephesi (ut scribit Abdias Lib. 5to:) vel Romæ (ut scribit Tertullianus) & antiquissima Ecclesiæ Romanæ Traditio confirmat. Sed contra urget Pater Alphonsus Salmeron; quia (inquit) tunc non solùm, non est mortuus, sed nec etiam passus est quidquam, Divinâ illum protegente virtute: Quomodo igitur tunc bibit Calicem, aut baptizatus est, siquidem nomine Calicis mors ipsa propriè significatur?

70. *Accedit imò.* Quia Apocalypsîs Cap 10. legitur. Angelum dixisse Joanni: *Oportet Te iterum prophetare Gentibus & Populis & lingvis, & Regibus multis.* Quod (ut notat Pater Salmeron) non potest intelligi de Evangelio, etsi illud scriptum sit post Apocalypsim: nam Evangelium propriè non est Prophetia, nec Evangelizare est prophetare: Nec multis scriptum lingvis, sed Græcè tantùm ab Auctore: Versiones verò in variis lingvis, non sunt Auctoris, sed aliorum: Nec multis ipse prædicavit Gentibus, sed Græcis, nec omnibus Græcis, sed Asiaticis tantùm, Ephesi, & Vicinis Civitatibus: Nec multis Regibus, Nam sub Romanis omnia erant redacta in Provincias, & pauci erant Reges dati, atq; illi nonnisi sibi subjecti: De se ergò loquitur servato usq; ad diem Judicii, ubi prophetabit Po-

pulis,& lingvis, & Gentibus,& Regibus multis. De aliis vero duobus testibus, id est Elia & Enoch, loquitur in principio Capitis 11. ubi habet. *Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt &c.* Vides igitur quòd hoc pertineat ad tempora Antichristi] Hucusq; Pater Salmeron. Item: Arethas Archiepiscopus Cæsariensis Cappadociæ, in Commentariis in Apocalypsim, quos congessit ex Sanctis, Basilio, Gregorio, Cyrillo, Irenæo &c: in verba præfata Apoc: 10. Cap: *Oportet Te iterum prophetare Gentibus.*
" scribit hæc: [Non est autem ignorandum, quòd ex hoc dicto:
" Oportet Te rursum prophetare, opinantur multi, Beatum hunc
" virum usq; ad sæculi consummationem vivere, ac venturum
" esse circa tempora Antichristi cum Enoch & Elia, ut unà cum
" illis, corrigat eos, qui tunc vivent, homines. Et quod tunc sub Antichristo interimendus sit.]

71. *Accedit 2dò.* Quia illa verba Christi Domini Matthæi Cap: 16. v. 28. *Sunt quidam de hìc stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium Hominis venientem in Regno suo.* S. Damascenus Oratione de Transfiguratione, tractans, ait. *Quod de Joanne Theologo dictum est, ut qui usq; ad Christi adventum, mortis omnino expers perstiturus sit, sic enim jam nonnulli, præstanti Eruditione Viri, hunc locum: sunt quidam de hìc stantibus &c: exposuerunt.* Et Pater Salmeron dicit: Locô citatô scripturæ, *sunt*
" *quidam* &c: pluralis numerus pro singulari ponitur, ut non-
" nulli volunt: ex illisq; verbis insinuari videtur, quòd adhuc vi-
" vat Joannes, cùm cæteri Apostoli mortui sint, pulchrèq; dicta
" verba in Jòánne manente usque ad secundum Christi Domini Adventum, veritatem habent. Solet etiam probari Responsio nostra 6ta, ex verbis illis Christi Domini, Jòánnis 21. v. 22. *Sic Eum volo manere, donec veniam.* In scriptura autem duo tantùm sunt noti, & celebres Adventus Christi: Et cùm hìc non possit esse sermo de primo: necessàriò de secundo Adventu Magni DEI, & Salvatoris nostri JESU Christi, ad Judicium, venit intelligendum: ante cujus Adventum decertabit Jòánnes pro Evãgelio, ac ab Antichristo interficietur.

72. Con-

72. *Confirmatur 1. Responsio 6ta. Auctoritate Patrum.* S. Hippolytus Episcopus Portuensis, & Martyr, (floruit Annô Christi 220. Clementis Alexandrini discipulus, Vir Doctissimus) in Oratione de Consummatione Mundi, & Antichristo, ait: [Prior ipsius Domini adventus Præcursorem habuit Joannem Baptistam; Posterior autem, quô venturus est in gloria, Enoch, Eliam, & Joannem Theologum exhibebit. Humanitatem specta Domini, ut vel extremis temporibus mortalium curam gerat, ac misereatur: Ac ne tunc quidem sinè Prophetis nos relinquet, sed missurus est Eos ad doctrinam nostram, certamq; scientiam, atquè ut animos attendamus in Adventum adversarii, Prophetæ duo cum Joanne ad denuntiandum per universum Orbem, adventum Christi, sument mille ducentos sexaginta dies, amicti saccis: Cùmq; prædicaverint hæc omnia, occumbent gladiô interfecti à diabolo: & implebunt testimonium suum, ut inquit etiam Daniel Cap: 7. qui prævidit bestiam ex abysso ascendentem cum eis esse bellum acturam, id est, Enoch, Elia & Joanne, & superatos eos interfecturam, eò quòd noluerint dare gloriam diabolo.] Hucusq; S. Hippolytus. S. Hilarius lib. 6. de Trinitate. *Loquatur* (inquit) *Joannes sic usq; ad adventum Domini manens, & sub Sacramento Divinæ voluntatis relictus, deputatus, dum non mori dicitur, & manere.* S. Chrysosthomus Homiliâ 87. in Joannem. Theophilactus, atquè Euthimius, illorum verborum; *Sic eum volo manere, donec veniam,* duplicem adferunt explicationem; Unam de Adventu Christi, per Titum & Romanos ad excidium Hierosolymæ; alteram de Adventu Christi ad Judicium, quando Joánnes cum Elia & Enoch pro fide occumbet. Simeon Metaphrastes in vita S. Joannis Evangelistæ refert, Eum Enocho, & Eliæ Thesbitæ conjungendum ante Adventum Christi. A Patre Salmerone pro eâdem sententia citatur Cardinalis Joannes Dominici, vir eminentis doctrinæ, ex Sacro Prædicatorum Ordine, qui hanc sententiam mordicùs tuebatur, ut de eo testatur S. Antoninus in 2da

Part.

Part: Hist: Tit: ult: Cap: 3tiô. Franciscus de Mayron, Joachimus Abbas, Iacobus Fabers Stapulensis, Catharinus, Sabellicus, Georgius Trapezuntius &c: S. item Gregorius Turonensis, Lib: imô. Histor: Cap: 24. dicit *S. Joannes senex & plenus dierum. perfectæq; in DEUM vitæ, vivens se deposuit in sepulchro. Hic fertur non gustare mortem, donec iteratò Dominus judicaturus adveniat, ipso in Evangeliis ita dicente: sic eum volo manere, donec veniam.*

73. *Confirmatur 2dò* Ab Eodem P. Salmerone & aliis, Ratione multiplici. 1. Quia conveniens esse videtur, ut ex omni Lege, naturæ, Moysis, & Evangelica, testis aliquis adsit pugnaturus in Antichristum. Ex Lege naturæ, Enoch: ex scripta, Elias; ex Lege Gratiæ, Joannes; qui testificentur, nullo tempore gratiam DEI, sitientibus suam salutem abfuisse, verumq; Messiam jam semel venisse, atquè iterum ad judicandum esse brevì venturum; ut in ore duorum vel trium stet omne Verbum. 2. Siquidem omnes Apostoli Martyriô, ac Sangvinis profusione, Evangelio testificati sunt; congruum est, ut Joannes tantô Martyrii honore, non privetur. præsertim cùm verior, & magìs recepta sit S. Thomæ Doctoris Angelici doctrina, ad Martyrii rationem, non Sufficere solam voluntatem, sed requiri ipsam mortem. 3. Quia si exstinctus est Joannes, mirum est, quòd non habeatur certa notitia, ubi, quando, & quâ morte obierit, & cur non exhibeantur ejus Reliquiæ? cùm multorum Sanctorum minùs Illustrium, qui in Eremo delituerunt, & mors minimè ignoretur, & Sacra Reliquiarum monumenta ostendantur.

Objectiones in contra proponuntur

74. *Contra hanc Sententiam quæ asserit, S. Joannem Venturum cum Enoch & Elia.*

Objici solent hæc; imò. Quia passim tradunt Patres Antiquissimi, ut Irenæus, Tertullianus, Eusebius, S. Hieronymus, S. Chrysostomus, S. Ambrosius, S. Beda, & alii, tradunt inquam, Sanctum Joannem naturali morte esse defunctum; ex quibus Patribus, Card: Baronius docet, Sanctum Joannem obiisse Anno Chri-

nô Christi 101. Clementis Pontificis 9. Trajani Imperatoris 2dô. ætatis suæ 93. à Passione Christi, 68. obiisse nempe Ephesi, & juxta eam Urbem esse sepultum, Onesimô, S. Pauli Discipulô in Episcopatu Ephesino illi succedente. *2dò.* Quia. *Statutum est hominibus semel mori.* *3tiò.* Quia in Capite 11. Apocalypsîs de duobus tantùm testibus fit mentio, de tertio teste verbum nullum. *4tò.* Quia in Vita S Joannis referri solet, quòd ubi sepulchrum vivus est ingressus, ampliùs conspectus non est. *5tò.* Quia absurdum videtur, ut Christi Discipulus tantopere dilectus, DEI fruitione atq; visione tam longô tempore fraudetur, ad quam tot alii Apostoli, ac Sancti inferiores, jam pervenerunt. Et *Confirmatur.* Quia Ecclesia preces fundit per eum, ut jam beatum, ad DEUM; ita enim precatur. *Ecclesiam Tuam quæsumus, Domine, benignus illustra, ut beati Joánnis Evagelistæ Apostoli Tui illuminata doctrinîs, ad dona perveniat sempiterna.*

75. *Ad Objectiones has respondet P. Salmeron.* *Ad 1mam.* Nos non negare, graves nonnullos Patres aliter sensisse, & jam mortuum esse Joánnem docuisse: Verùm illis, tot alios tam Græcos quàm Latinos, Antiquitate, Sanctitate, ac Doctrinâ illustres opponimus, & Nostram Sententiam minimè ut Fidei Articulum, sed ut probabiliorem, & Scripturis Sacris magìs consentaneam tuemur. *Ad 2dam.* Cùm dicimus, Eum nondum exstinctum; non asserimus illum mortem non subiturum; imò statuimus, tunc maximè morte suâ cum Elia & Enoch DEUM clarificaturum: aliàs si vim ullam haberet Objectio, probaret Eliam & Enoch olim exstinctos, & nunc non vivere. *Ad 3tiam.* Etiam Sancti Joannis, in fine Capitis 10. Apocalypsîs mentio facta est, cùm ei dictum est: *Oportet Te iterum Prophetare Gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis.* *4ta Objectio* Magìs arguit translationem quàm mortem; quia si mortuus esset, reliquisset ibi Corporis sui Reliquias. Et rectè Angelus Matthæi Cap. 28. ostensô monumentô, & Corpore Domini absente, probavit Ejus Resurrectionem; Ita ex hoc loco magìs pro- *Ad easdem Respondetur.*

bari potest translatio, quàm suscitatio: quia suscitationem præcedit mors; Mortuum autem Joannem nemo vidit; & ita translatum vivum ex fovea in locum & consortium Enoch & Eliæ intellexerunt discipuli, & acquieverunt in Verbis Evangelicis de Ejus mansione, donec veniat, ut testatur Simeon Metaphrastes in Vita Sancti Jòánnis. *Ad 3tam.* Respondemus, illos tres Patres in Paradiso terrestri servatos, jam beatitudine Visionis DEI, ac fruitionis secundùm Animam donatos esse, si, quemadmodum S. Antoninus, atquè alii tradunt, loqui velimus: ac proinde per illorum preces, Ecclesia ad DEUM confugere solet; qui tamen adhuc mortalia gestant corpora, quô pro fide possint occumbere; sicut Christus Animô Beatus, Corpore Viator erat. Quod si quidquam esset injuriæ tantô tempore, gloriâ destitutum permanere, profectò injuria quoquè, & major esset irrogata Eliæ, & Enoch, possetquè DEUS retardatam Beatitudinis remunerationem, magnitudine gloriæ pro virtute sua compensare. Certè Beatos illos vocare non dubitat S. Augustinus, Lib. de Assumpt: Mariæ Cap. 2dô, Tomô 9nô. *Nihil* (inquit) *de Eliæ & Enoch, postquam rapti sunt vitæ felicitate commendat, cunctis liquidò scientibus, eos Beatè vivere, quos Dominus hinc in futurum salvandos voluit rapere.* Si *Objiciatur*, ampliùs terrestrem non exstare Paradisum, ac proinde vanam, & minùs probabilem reddi Opinionem. *Respondemus*, quòd ampliùs non exstet Paradisus terrestris, non usquè adeò exploratæ esse Veritatis, ut possit tanquam certum telum in nos jactari: Cùm plurimi, ex Veteribus, & ex Scholasticis Doctoribus videantur ejus statum etiam nunc constituere. Verùm, demus non existere illum, quid hoc ad rem? Nos enim tantùm asserimus, Jòánnem asservatum Divinâ virtute in loco, ubi sunt Elias & Enoch, ubicunquè ille locus existat, sive sit Paradisus terrestris, sive ullus alius, Domino notus, Divinâquè Providentiâ munitus, atquè protectus. Hæc mihi probabilior animo hactenus insidet Sententia: à qua, si quis me solidioribus rationibûs, aut firmiori-

mioribus scripturarum, & Patrum Testimoniis deduxerit, profectò facilè illi cedam, Ejusquè sententiam amplectar. Nihil enim hìc aut contentiosè, aut obstinatè defendimus, sed id tantùm proponimus, quòd ad hunc locum Jòánnis: *Sic eum volo manere donec veniam.* &c. illustrandum probabiliùs, ac verisimiliùs facere videtur.] Hucusquè Pater Alphonsus Salmeron Societatis JESU, Eminentissimus pietate, zelô, & Sapientiâ.

76. *Præter datas Objectiones & ad earum Responsiones,* posset adhuc objici. In Concilio Ephesino Tomô 3tiô, cap. 6tô. Jubentur coli Reliquiæ Martyrum, ac præcipuè S. Jòánnis. Sic enim dicitur. *Sacras Sanctorum Triumphatorumq; Martyrum, maximè verò Beatissimi Jòánnis Theologi, ac Evangelistæ Reliquias, videndi, easdemq; complectendi desideriô flagrant.* Et Tomô 2dô Cap. 14. Cælestinus Papa in Epistola ad Concilium Ephesinum dicit: *Ante Omnia vos præcipuè considerare iterum, atq; iterum recolere decet, quibus Jòánnes Apostolus prædicavit, cujus Reliquias præsentes honoratis* Idem ferè habetur in septima Synodo Act. 5. propè finem. Ex his ergò satìs constat; & Mortuum esse S. Jòánnem, & Ejus Corpus Ephesi fuisse sepultum. Nam quod quidam finxerunt (ut S. Augustinus Tractatu 124. in Jòánnem, & S. Isidorus referunt) Jòánnem quidem verè fuisse sepultum, tamen vivum, & dormientem sub terra servari; & incredibile est, & sine ullo fundamento confictum. Ergò si S. Jòánnis Reliquiæ sunt Ephesi, sequitur Eum defactò esse mortuum, & necdum resurrexisse.

An & quantæ Reliquiæ sunt S. Joannis Evangelistæ?

Respondetur. Quid si dicatur? Reliquias ibi non Corporis, sed Vestium, Librorum, & similium utensilium, quibus usus est S. Jòánnes, intelligi; aut certè capillorum, barbæ, vel sanguinis in phlebotomia emissi? Unde jam Reliquias aliquas alias Corporis S. Jòánnis, non est reperire. Qui plura desiderat nosse, an mortuus sit S. Jòánnes? & quâ morte? legat Nostrum Cornelium à Lapide in Caput 21. Joannis, propè finem; & Franciscum

ciscum Suarez in 3tiam Partem. Quæst. 59. Articulô 6tô. Disputatione 55. sectione 3tiâ.

77. *Eruditionis gratiâ, & ad meliorem intelligentiam dictorum.*

Evidenter deducitur hos duos testes Apocal. non esse Huss & Lutherum: vel Lutherum & Zvinglium, vel Calvinum.

Nota imò. Hæretici moderni negant absolutè, ante Judicium Generale venturum esse Enoch & Eliam: Sed nonnulli illorum per duos illos testes Apocalypsis 11. Asserunt intelligi debere *Joánnem Hussum, & Lutherum*, vel *Lutherum, & Zvinglium, aut Calvinum.* Hi enim ab Antichristo, (id est ut calumniantur, summo Pontifice) persecutiones magnas passi sunt; imò primus ex illis, ex Decreto Concilii Constantiensis, Annô 1415; vivus combustus est Constantiæ. Quàm effrontissima hæc interpretatio Sacræ Scripturæ, & cæca intelligentia! ut Constat ex his, quæ dedi in Libro meo cui Titulus *Censura Prophetiarum de Romanis Pontificibus Quæst. 7. à pagina 104.* Inde repeto nonnulla.

Huss contraria docuit Luthero.

78. Imò. Illi ne duo testes à DEO missi qui in Articulis Fidei docuerunt sibi è diametro opposita? Joánnes enim Huss, Tomô Imô fol. 51. in Elucidatione sua Fidei, confirmat invocationem Sanctorum. Epistolâ 35. multùm tenet de meritis Sanctorum. Tomô 2dô Epist. ad Caput Epist. 5. S. Jacobi, fol. 149. agnoscit septem Sacramenta. Et eôdem Tomô, Sermone de Exequiis. Missam approbat, docetquè Corpus Christi esse ante sumptionem: hortatur item Sacerdotes, ut Missas devotè celebrent. Lutherus verò nonne omnino his contraria suos docuit? licèt idem Huss ob alias suas propositiones graviter Erroneas, inter quas fuerunt hæ: *Omnia fiunt necessitate absoluta. Soli Boni sunt in Ecclesia. Nullus est Dominus Civilis: nullus est Prælatus: Nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.* Meritò pro Hæretico habitus, & ob Hæresim rogo adjudicatus est. Calvinus, Zvinglius, negant verò esse corpus præsens Christi in Eucharistia, sed tantùm esse figuratè, significativè, seu tanquam in signo. E contra Lutherus, firmissimè censet existere verè Corpus Christi in Eucharistia, licèt simul cum substantia panis.

79. *2dò.* Lutherus in Lib. de verbis Cænæ ait: *Moneo, ut non aliter sibi caveant à Zvinglio, quàm à Sathanæ veneno. Sacramentarii* (id est Calvinistæ & Zvingliani) *sunt Verbi DEI corruptores, Idololatræ, Diabolicas cogitationes circumferentes, Blasphemi, deceptores; Maledicta sit in omnem æternitatem cum illis charitas, & concordia.* E contra Zvinglius Tomô 2dô Epistolarum, ad Esling scribit. *Lutherus est falsus Propheta, scurra, sue fædior, pessimus Hæreticus, Impostor, Marcione pejor.* Et in Responsione ad Lutheri Librum de Sacramento ait. *Lutherus, est incorrigibilis Hæreticus, Antichristus, Christi negator.* *3tiò.* Illine sunt testes, *amicti saccis*, seu Ciliciis? qui postquam à Fide Catholica defecerunt, detestati sunt Austeritatem vitæ, castigationemquè corporis proprii; ad omnemq; peccandi licentiam aperuerunt viam, docendo solam Fidem ad salutem necessariam esse, & sufficientem, Decalogum non pertinere ad Fideles Christi, Legem DEI esse sanctis impossibilem, Omnia nostra opera bona, esse coram DEO peccata mortalia.

Lutheri Judicium de Zvinglio & à contra Zvinglii de Luthero.

80. *Nota 2dò.* Novatores alii, præsertim Calvinistæ in Anglia, cum suo Roberto Abbato primario Ministro, per illos duos testes Apocalypsis 11. *Vetus & Novum Testamentum* debere intelligi asserunt. Sed hæc assertio est impudens, merum figmentum, omni prorsus colore veri destitutum; ut patet ex his. Nam de illis duobus testibus dicitur ibidem Apocalypsis 11. Quòd erunt Vivi, & Prophetabunt solùm per dies 1260, postea interficiendi ab Antichristo; eorumquè corpora jacebunt in plateis Civitatis magnæ, ubi & Dominus eorum crucifixus est: post tres verò dies cum dimidio resurgent, & ascendent in Cælum, &c. Quâ ratione hæc conveniunt Veteri, & Novo Testamento?

Nec illi duo testes Apocal. sunt Vetus & Novum Testamentum.

81. *Nota 3tiò.* Dum Christus Dominus dixit Matthæi 17. v. 12. *Dico autem vobis; quia Elias jam venit*, loquitur ibi Christus Metaphoricè de Joanne Baptista, de quo Angelus Gabriel prædixerat Patri ejus Zachariæ, Lucæ 7. v. 17. *Ipse præcedet ante illum*

Explicantur Verba Christi Matth. 17. Elias jam venit.

illum (Christum) *in spiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda Patrum in Filios, & incredulos ad prudentiam Justorum, parare Domino plebem perfectam.* Et ita explicant illum locum Matthæi 17, Patres omnes. Origenes Tractatu 3tio in Matthæum. S. Hilarius Canone 17. S. Chrysostomus Homiliâ 58. in Matthæum. Et ibidem S. Hieronymus, S. Beda, S. Anselmus &c.

Enoch & Elias ubi nunc sunt?

82. *Nota 4tò.* Si quæratur, ubi nunc sunt Enoch & Elias? *Respondeo* Verbîs Cornelii à Lapide S. J. (Recentiorum Sacrarum Scripturarum Interpretum facilè Principis, qui eruditissimè ac solidissimè totam ferè Sacram Scripturam, interpretatus est) Respondeo inquam; Communiter docent Patres, eos versari in Paradiso. Verùm dico, Henoch ante diluvium translatum esse in Paradisum, post diluvium verò, quô inundatus, & sublatus videtur Paradisus, agit in loco aliquo amæno. Quem DEUS illi, sivè in àëre, sive in terra præparavit: ad quem post diluvium raptus est Elias (imò & juxta multos, quos citavi suprà, & Jòánnes Evangelista) ibi ergò simul agunt vitam, quasi beatam, immunem à concupiscentia, & à nostris ærumnis, in altissima DEI contemplatione, S. Epiphanius Hæresi 64. & S. Hieronymus ad Pammachium, censent, Enoch & Eliam sine cibo vivere. S. verò Augustinus hac de re dubitat, Librô 1mô de peccatorum meritis & remissione Cap. 3tiô, aitquè eos vel sine cibo vivere, vel certè vivere, sicut Adam vixit in Paradiso, scilicet ex ligno vitæ; ideoquè nec morbô, nec Senectute deficere. Sed veriùs est eos à DEO vivos & vegetos per miraculum conservari sinè cibo: Nam Paradisum & proinde lignum Vitæ interiisse probabiliùs est. Vide infra, in Notato 6to. An videant DEUM, sintquè Beati, asserit Catharinus, P. Salmeron, & propendet Barradias. Vide & supra in Responsione Patris Salmeronis ad Objectionem 5tam. Negant communissimè, & fortè probabiliùs alii.

An in statu sunt merendi?

83. An verò sint in statu merendi, controversum est inter Theologos. Asserit P. Viegas in Apocalypsis Cap. 11. Ex

eo,

eo, quia adhuc sunt Viatores; cumquè priventur Visione DEI, cur præter ordinem communem privari deberent facultate merendi, quam habent alii Viatores? Estò hac ratione meritis & gloriâ sint superaturi sanctos omnes, exceptâ Beatâ Virgine. Negat verò id psum Pererius, & Suarez, idquè videtur Cornelio à Lapide esse probabiliùs, idquè ex eo, quia alioqui tot annorum millibus, innumera accumularent merita; neč inter eos & alios sanctos esset ulla comparatio, aut proportio in Gratia ac gloria. Sunt ergo in statu quasi medio Viatorum, & Beatorum, scilicet in statu quietis, & contemplationis: Unde sicut non laborant, nec patiuntur, sic nec merentur; plurimùm autem merebuntur redeuntes & pugnantes contra Antichristum, ab eoquè interficientur, post tres dies, & dimidium verò, vivi & gloriosi resurgent, ascendentquè in Cælum; ut habetur Apocalypsis Cap. 11. ex sensu communi Patrum & Fidelium.

84. *Nota 5tò.* Enoch fuit Propheta, & scripsit quædam Divina, quæ citat. S. Judas Apostolus in sua Epistola; sed Liber Enoch interiit. Ille enim, quem viderunt S. Hieronymus, Augustinus, Origenes, Tertullianus, suppostititius, & Apocryphus est, ut notat Cornelius à Lapide, juxta quem, raptus fuit Enoch annô Mundi 987. Ergò (inquit ille in Genesis Cap. 5.) Cùm hoc anno Christi 1615. agatur annus Mundi 5565, sequitur Enoch hôc Annô agere annum raptûs sui 4578. Vitæ verò suæ 4943. *Estne liber Enochi? Quonam Mundi Anno raptus?*

85. *Nota 6tò.* Ex eodem Cornelio à Lapide in Caput 2dum Genesis, Censet Doctissimus hic Commentator, & probat pluribus rationibûs, Paradisum fuisse circa Mesopotamiam, & Armeniam & quidem eô locô, quo confluunt Euphrates, & Tygris. An verò locus & Paradisi amænitas adhuc supersint? Respondet. Certùm est, locum superesse, de amænitate incertùm est. S. Justinus, Tertullianus, Epiphanius, Augustinus, Damascenus, S. Thomas, Abulensis, & alii quos citat P. Viegas in Caput 11. Apocal. censent, peculiari DEI Providentia tempore *Paradisus ubi fuit? an adhuc exstat?*

pore Nóé, à diluvio intactum servatum esse Paradisum: Licèt enim alios communes hominum montes, aqua diluvii excesserit, ut dicitur Genesis Cap. 7. v. 19. & 20. Non tamen Paradisum; Aut si & tunc excessit, eum tamen non vitiasse; eò, quòd hic sit innocentiæ locus, in quo etiam nunc sanctissimè & quietissimè vivant Elias & Enoch, ita omnes Patres jam citati. Alii, & fortè probabiliùs (inquit Cornelius à Lapide) censent, usq; ad diluvium exstitisse Paradisum in primæva sua amænitate; nam cùm DEUS expulit ex eo Adamum, posuit ante eum, Cherubim, ad eum custodiendum. Rursùm, Enoch raptus dicitnr in Paradisum non Cælestem, sed terrestrem, Ecclesiastici Cap. 44. v. 16. Verùm in diluvio Nóé, cùm aquæ per annum integrum totam terram occupârunt, censent iidem, Paradisum quoquè iis obrutum, violatum, & dissipatum fuisse, idq; satìs indicat Moyses Cap. 7. Genesis v. 19. *Adde.* quòd nusquam jam Paradisus inveniri possit; Cùm tamen tota terra, præsertim circa Mesopotamiam & Armeniam planè sit cognita & habitata. Ita censent Oleaster, Eugubinus, Catharinus, Salmeron. Pererius, Jansenius, Franciscus Suarez 3. P. Quæst. 39. Art. 6. Disputat. 55. Sect. 1. Viegas & alii. Aquæ enim Diluvii per Annum integrum tantâ vi recurrentes, & ut Moyses ait, euntes, & redeuntes, omnes arbores, Domos, Urbes, quin & colles straverunt, totamq; ferè terræ superficiem dimoverunt. Ergò & Paradisi formam, & decorem subverterunt, proinde & *lignum vitæ*: quod lignum vitæ fuit vera arbor. Dicta est *Vitæ*, quia scilicet illa arbor comedentis vitam hominis fecisset longævam valentem, & robustam constanter, ut nunquam homo morbum, aut senium incurrisset, demùm lætam, & hilarem; repulisset enim omnem tristitiam, & melancholiam. Porrò hæc vis, & virtus, probabiliùs fuit illi arbori naturalis, ut dicit Cornelius à Lapide, sicut est vis medendi in aliis fructibus, & arboribus. Notat item Cornelius cum aliis, Adamum non gustasse de hoc fructu vitæ; Nam paulò post creationem suam peccavit, & Paradisô expulsus est.

Quanam Arbor Vita?

Quomodo prorogasset homini vitā?

86. *Arbor*

86. *Arbor* autem *scientiæ boni & mali* in eodem Paradiso, videtur Isidoro Pelusiotæ, Theodoreto, & aliis fuisse ficus; vocata ex eo *Lignum scientiæ boni & mali*; quia, ut notat S. Augustinus Lib: 14. de Civitate, Cap: 17. S. Cyrillus Capite 3tio, contra Iulianum, Cornelius à Lapide in Caput 2dum Genesis, per illam arborem didicit & sciuit primus homo per experientiam, id, quod antè tantùm sciebat per Speculationem; quid nempè intersit inter obedientiam, & inobedientiam, inter bonum & malum. Non omnino etiam improbabile est, quòd Josephus Judæus Historicus Lib: 1. Antiquitatum Cap: 2do censet, hanc arborem habuisse vim acuendi ingenium, & scientiam, indeq; vocatam esse arborem scientiæ boni & mali.

Qualis Arbor Scientiæ boni & mali?

QUÆSTIO III.

An inter signa proximè antecedentia Judicium extremum, est Prædicatio Evangelii in toto Mundo?

R*Espondeo affirmativè*, Cum pluribus Sanctis Patribus, & Theologis, ac Interpretibus Sacræ Scripturæ.

87. *Probatur imò.* Christus Dominus Matthæi 24. v. 4. dixit: *Prædicabitur hoc Evangelium Regni* (id est, quô Regnum Cælorum nuntiatur appropinquare) *in universo Orbe, & tunc veniet consummatio.* Et Marci Cap. 13. v. 10 *In omnes Gentes primùm oportet Prædicari Evangelium.* Id est priusquàm veniat Mundi consummatio. Porrò prædicta Verba Christi Matthæi 24. non sunt intelligenda solùm, (ut vult S. Chrysosthomus, & ejus assecla Theophilactus:) de Consummatione, & excidio urbis Hierusalem, quod accidit per Titum, quadraginta annîs, postquam hæc sunt prædicta, sed de Consummatione Mundi. *Ratio* est. Tùm quia Apostoli, teste S. Matthæo eodem Capite, interrogaverant

Prædicatio Evangelii signũ instantis Judicij.

gaverant Christum Dominum *quod signum est Consummationis sæculi*? Et respondit Christus; prædicandum Evangelium per omnes partes Orbis terrarum, & tunc futuram consummationem sæculi. Tùm quia Christus usus est voce hac *Consummationis* absolutè, & Simpliciter, quâ Universi seu Mundi potiùs, quàm unius Civitatis tantùm, Consummatio significatur. Tum quia prædicta Verba de Consummatione ipsius sæculi, intellexerunt communissimè Patres. ut S. Ambrosius *Lib*: 10. in Lucam. S. Hieronymus in Caput prædictum Matthæi, S Augustinus in variis locis, præcipuè Epistola 78. & 80. ad Esichium Episcopum. Et alii, ut patebit mox infrà. *Adverte* item cum Patre Francisco Suarez, & pluribus etiam Patribus Veteribus Sanctis: Per verba hæc: *Et tunc veniet consummatio* in sua proprietate, & rigore, significatur, non magnam adeò, interponendam temporis moram inter prædicationem Evangelii per totum Orbem, & finem Mundi.

88. *Probatur 2dò Responsio Auctoritate Patrum.* Origenes Tractatu 28. in Matthæum, loquens de statu rerum in fine Mundi ait. *Et in hoc statu constitutis rebus, Evangelium, quod priùs non fuerat prædicatum in toto Mundo, (multi enim nonsolùm barbararum, sed etiam nostrarum Gentium, usquè nunc non audierunt christianitatis Verbum) tunc prædicabitur, ut omnis Gens Evangelicam audiat prædicationem, si quis temerè dicere vult prædicatum jam esse Evangelium in toto Orbe, in testimonium Omnibus Gentibus, Consequenter dicere poterit, jam finem venisse.* Idem sentit S. Damascenus Lib: 4to de Fide Orthodoxa Cap. 27. Ubi de Antichristo loquens, dicit: *Primùm itaq; quemadmodum Dominus dixit Evangelium apud omnes Gentes prædicari necesse est, ac tunc Ille ad prodendam Judæorum impietatem veniet.* Idem ferè affirmat S. Cyrillus Catechesi 15. Theodoretus, tractans illa Verba Apostoli 2da ad Thessalonicenses 1mo. Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore. Idem sentit S: Gregorius Magnus, Lib. 25. Moralium, Cap: 15. S. Beda, in Matthæi cap: 24. S. Bernardus Lib:

Lib. 3. de Consideratione ad Eugenium Papam. S. Thomas Lectione 3tia in: ad Romanos 10. &c:

Ad meliorem intelligentiam dictorum.

An, & qualiter, temporibus Apostolorum fuit prædicatum Evangelium in toto Orbe?

89. *Nota imò.* S. Paulus in Epistola sua ad Romanos Cap. 1. v. 8. dicit: *Fides Vestra annuntiatur in Universo Mundo.* & Cap. 10. v: 18. *Nunquid non audierunt? & quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in finem Orbis Terræ verba eorum.* Item ad Colossenses, Cap: 1. v. 6. *In verbo veritatis Evangelii, quod pervenit ad vos, sicut & in universo Mundo, est, & fructificat, & crescit.* Prædicta verba Apostoli intelligenda sunt, dicta vel per Hyperbolen, vel per Synecdochen, ut totum Orbem dixerit præcipuam, & notissimam ejus partem. Sicut Joseph interpretans somnium Pharaonis dixit Gen: Cap: 41. v. 31. *Consumptura est fames omnem terram.* Et Sanctus Lucas Cap: 2. v. 1. *Exjit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis.* Vel demùm, ut Sapientissimè S. Augustinus Tomô 2dô in Epistolâ suâ 80. interpretatur. Locutus est in illis locis Apostolus more Prophetico de eo, quod certo futurum erat, perinde ac si iam esset præsens, vel præteritum. Quod optimè S. Augustinus confirmat ex eo; Nam illa verba: *In omnem terram exivit sonus eorum* sunt desumpta ex psalmo 18. Davidis; certum autem est, verbô illô præteriti temporis *exivit.* Davidem non significare voluisse jam suo tempore annuntiatum fuisse Evangelium in toto Mundo, Sed Propheticè usurpavit illud verbum *exivit*, ad denotandam certitudinem ejus, quod erat futurum; sicut dum psalmô 21. significans passionem Christi futuram, usus est idem David Verbô præteriti temporis inquiens: *Foderunt manus meas & pedes meos.*

Nec tempore S. Augustini fuit tunc usq; promulgatum Evangelium: nec modo est.

90. *Nota 2dò.* Nec tempore Originis (qui vivebat Annô Christi 220) ut patet ex ejus verbis paulò suprà adductis; nec temporibus Divi Augustini (qui florebat circa Annum Domini 420.) fuit in toto Orbe promulgatum Evangelium. Nam ipsemet Epistolâ 80. testatur, multas in Africa, suô tempore fuisse Gen-

se Gentes, quæ Evangelium neq; acceperant, neq; audiverant: quin nec ante annos trecentos, Quia modò primùm circa Annum 1498. inventus est ab Hispanis novus Orbis, cùm scilicet Americus (à quo Americæ nomen) Vesputius, & Christophorus Columbus, navigando detexerunt Indiam occidentalem, quæ planè dimidia est pars totius Orbis, atq; adeò ferè æqualis tribus aliis partibus simul sumptis, scilicet Europæ, Asiæ, (ad Asiam spectat India orientalis, in qua est Iaponia, China &c:) & Africæ. In illaq; India occidentali serò proindè audiri, & propagari cæpit Evangelium per plures ibi Provincias, & Regna, ut Mexicanum, Peruanum, Brasiliam, exceptis hucusquè incognitis multis ibidem Regionibus Australibus. Uude prudenter colligitur (inquit Cornelius à Lapide in 24. Matthæi;) nos sensim appropinquare ad finem Mundi; ex reliquo enim Orbe nihil superest, quod aliquando fidem Christi non aceperit, nisi fortè China; ubi tamen olim fuisse Christianos Christiq; Ecclesias, certis testimoniis ostendit Pater noster Trigautius libro de Fide propagata in China. Idemq; probat nuper in China inscriptio lapidis inventa, quæ planè testatur, Evangelium in ea prædicatum olim fuisse à viris Apostolicis.

Qualiter in toto Orb: prædicandum Evangelium?

91. *Nota 3tiò.* Evangelium per Orbem Universum ita prædicandum est, ut apud omnes Gentes, in Omnibus Regionibus, & præcipuis Prouinciis, templa fundentur, instituantur Parochi, & Episcopi, & Christiana Religio recipiatur & exerceatur, taliq; ratione Christus ubiq; agnoscatur, & colatur; ut docent plurimi Patres cum S. Augustino. Utq; impleatur illud Psalmi 2. *Dabo Tibi Gentes Hæreditatem Tuam, & Possessionem Tuam terminos terræ.* Et illud Psalmi 85. *Omnes Gentes quascunq; fecisti venient, & adorabunt coram Te Domine.* Hoc tamen stante, fieri potest, ut in iisdem Provinciis fundentur Ecclesiæ Christianorum, & tamen Judæorum Synagogæ, & Idolorum delubra non evertantur, ut in principio Ecclesiæ Christianæ accidit, & nunc in India couspicimus.

92. *Nota*

Non omnes, hac prædicatione convertendi.

92. *Nota 4tò.* Christus Dominus Matthæi 24. v. 4. Non dixit: Credetur hoc Evangelium in toto Orbe. Sed *prædicabitur*; Nec dixit: prædicabitur ut omnes credant: sed *in testimonium omnibus Gentibus*, id est: ut, qui noluerint credere, nullam excusationẽ habeāt. Unde, ex allato textu Matthæi 24. non potest rectè inferri, ante Adventum Christi Domini ad Judicium, Orbem totum ad Christi Fidem convertendum esse. Conceditur tamen, per Eliam & Enoch venturos tempore Antichristi, plurimos Judæos esse convertendos ad Christum, sed tamen non cogimur (inquit Magnus Suarez:) dicere, cunctos omnino Judæos esse convertendos, & credituros in Christum, sed solùm eos, qui ad æternam vitam fuerint præordinati, Iuxta illud Danielis Cap: 12. v. 1. *In tempore illo salvabitur populus Tuus omnis qui inventus fuerit scriptus in Libro.*. Solùm ergo illi credent fide viva & stabili, ac permanente usq; ad finem. Non est autem cur dicamus, omnes Judæos, qui tunc vivent, fore prædestinatos, vel ad æternam Vitam, vel ad Fidem. Quia verò aliquid specialiùs illô tempore (scilicet proximè ante Judicium extremum,) promittitur; credendum est, majore ex parte tunc fore Judæos convertendos; quod notavit in Caput 11. Epistolæ ad Romanos Theophilactus Archiepiscopus Bulgarorum, nec non Oecumenius ibidem.

Verba hæc Christi Domini, erit unum Ovile, & unus Pastor, in quo nam sensu intelligenda sunt? Iuxta Patrē Suarez.

93. *Nota 5tò.* Per illa verba Christi Domini, Joannis Cap: 10. v. 16. *Erit unum ovile, & unus Pastor.* Minimè evincitur esse revelatum à Christo, fore aliquando, ut totus Mundus, & Omnes omnino homines sint intra Ecclesiiam, ita ut nullus sit Infidelis, sicq; constituant unum Ovile, sub uno Pastore Christo, & ejus Vicario, minimè id inquam evincitur. *Ratio est*: Quia prædicta verba Christi Domini non sunt in illo sensu intelligenda, ut docent Sapientissimi Orthodoxi Theologi, & doctissimi Sacræ Scripturæ Interpretes, ex plurimis aliquos adfero. Pater Franciscus Suarez in Tertiam partem. Quæst: 59. Art: 6. Disp: 56. "
Sect: 1mâ dicit: [Per illa verba, *erit unum ovile, & unus Pastor*, "
solùm

" ſolùm Chriſtus Dominus prædixit, futuram gentium conver-
" ſionem, & ex Gentibus & Judæis conſtituendum eſſe unum
" ovile, atq; unam Eccleſiam Univerſalem, ac Catholicam, quæ
" (quod in ſe eſt) omnes complectatur. Quòd autem plures,
" vel pauciores diverſis temporibus vel ex Gentibus, vel ex
" Judæis intra hanc Eccleſiam, per Fidem congregandi ſint, de
" hoc nihil Chriſtus affirmavit. Quanquam (ſi verba ejus inter-
" pretamur non abſolutè de hominibus, ſed de ovibus ſpeciali-
" ter electis, ac prædeſtinatis:) de illis verum eſt, omnes ſem-
" per adduci ad ovile Eccleſiæ, extra quam non eſt ſalus; quam-
" vis non ex ſolis illis Chriſti ovile conſtituatur.] Et paulò
" ibidem ſuperiùs [Omnes (inquit:) in univerſum homines eſſe
" crediturος, nullo teſtimonio probabili affirmari poteſt, neq;
" eſt conſentaneum humano ingenio, ac libertati, nec experi-
" entiæ, nec modo Divinæ prædeſtinationis, quæ ita videtur res
" hominum diſpoſuiſſe, ordinaſſe, ac permiſiſſe ut ſemper ſint
" inter eos boni, & mali; Fideles, & Infideles. Quod variis
" parabolis in Evangelio Chriſtus ſignificavit; & in omnibus in-
" dicat hanc permixtionem uſq; ad finem Mundi duraturam] huc-
" uſq; P. Suárez Theologorum Societatis, & recentiorum ſæcu-
" lorum facilè Princeps. P. Joannes Maldonatus, in Joan-
" nis Capitis 10. Verſum 16. ait: [Fore ut ante Mundi conſum-
" mationem, omnes ſimul Judæi, & Gentes Chriſtiani fiant; itaq;
" unum ſit ovile, & unus Paſtor, error eſt ex hoc loco natus
" peſſimo Interprete Vulgo; Nec enim ſenſus eſt omnes eſſe
" in Chriſtum crediturος, & venturos ad Eccleſiam; ſed inter
" Eos, qui ex Judæis, & eos, qui ex Gentilibus credituri ſunt,
" nullum fore diſcrimen; rumpendam eſſe Maceriam, quæ an-
" tea, eos duos Populos dividebat; Chriſtum lapidem Angula-
" rem, ut S. Auguſtinus interpretatur, futurum eſſe. Quod non
" ante finem Mundi faciendum exſpectatur, ſed jam factum cer-
" nitur] Hæc ille. Cornelius à Lapide, in illa verba. *Fiet*
" *unum Ovile, & unus Paſtor*, dicit: [Nonnulli vulgò ſic

Item, juxta Patrem Maldonatum.

Nec non juxta Corneliũ à Lapide.

expli-

explicant; sub finem Mundi, Deus per Eliam omnes Judæos, "
& per Enoch, omnes Gentes simul ad Christum convertet: "
sicq; ex utrisq;, id est, ex omnibus hominibus fiet una Eccle "
sia, & Unus Pastor, Ejusq; Vicarius summus Pontifex: verùm er- "
rant; nam nec Elias omnes Judæos, nec Enoch omnes Gentes "
ad Christum convertent: longè alia est mens Christi hìc: Ni- "
mirum hæc: quasi diceret. Post meam mortem, & Resurrecti- "
onem, Apostoli spargentur per omnes Gentes, illasq; ad me "
convertent, quare tunc Gentes, antea aversi à Judæis, simul "
cum illis aggregabuntur Ecclesiæ meæ, quæ cæpit ex Judæis: "
Tunc ergo fiet unum ovile, id est Ecclesia, collecta ex Judæ- "
is & Gentibus in me credentibus; & unus Pastor. nimirum "
Christus; Ejusq; Vicarius Pontifex Romanus. Quare id non "
quasi adhuc futurum exspectatur, sed jam pridem factum est "
tempore Apostolorum, & tempore Constantini Magni, qui "
Primus Christianus Imperator, omnes penè Gentes suô impe- "
rio subditas Christianas effecit.

QUÆSTIO IV.

Romani Imperii funditus eversio futura, eritne indicium proximè imminentis Judicii extremi?

94 R*Espondeo Affirmativè* Cum Patribus Ecclesiæ Latinæ & Græcæ. *Eversio Romani Imperii, signum instātis Judicii.*

Sanctus Ambrosius in Caput 2dum Epistolæ 2dæ ad Thessalonicenses: *Non* (inquit) *priùs veniet Dominus, quàm Romani Regni defectio fiat, & appareat Antichristus, qui interficiet Sanctos.* S. Chrysostomus Homilia 4tâ in eandem Epistolam S. Pauli. *Quando Romanorum Imperium de medio sublatum fuerit, tunc*

Anti-

Antichristus veniet. Idem asserunt Theophylactus, & Oecumenius in eundem locum S.Pauli. S. Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus (floruit Annô Christi 360) Catechesi 15. ait, *Veniet Antichristus, cùm impleta fuerint tempora Romani Imperii.* S. Prosper, in dimidio Hebdom: Cap. 9. *Notandum sanè post Bestiam hæc omnia esse ventura, id est sublatô Regnô, in quo mulier sedet ebria Sanctorum Sanguine; idest, sublatô imperiô Romanô.* Idem longè antè affirmat Tertullianus in Apologetico adversùs Gentes Cap. 32. Ubi ait: *Fidelibus incumbere necessitatem orandi pro statu Imperii, rebusq; Romanis: quòd vim maximam universo Orbi imminentem, ipsamq; clausulam sæculi, acerbitates horrendas imminentem, Romani commèatu Imperii scimus retardari. Itaq; nolumus experiri & dum precamur differri, Romanæ diuturnitati favemus.* Similia habet libro ad scapulam Cap. 2do.

Confirmat idipsum Divus Hieronymus, antiquissimâ traditione Ecclesiæ. Dum in Caput 7mum Danielis hæc habet. *Ergò dicamus, quòd omnes scriptores Ecclesiastici tradiderunt; in Consummatione Mundi, quando Regnum destruendum Romanorum, decem futuros Reges, qui Orbem Romanum inter se dividant, & undecimum surrecturum esse Regem parvulum, qui tres eges, de decem Regibus superaturus sit. Id est Ægyptiorum Regem, & Africæ, & Æthiopiæ, sicut in Consequentibus manifestiùs dicemus; quibus interfectîs, etiam septem alii Reges, victori, colla submittent, &c.*

Probatur eadem Responsio ex dictis suprà in Disputatione 2da, Quæstione 2da. Probari etiam solet eadem Responsio ex Danielis Cap. 7mo v. 24. & Cap. 11. Item ex Apoc. Cap. 13. & 17. Nec non ex Epistola 2da S. Pauli ad Thessalonicenses Cap. 2do. Ubi dicit: non venturum diem Domini (id est diem Judicii) *nisi venerit discessio primùm* (nempè Generalis defectio à Romano Imperio ut explicant pleriquè Patres, & Interpretes) *Et revelatus fuerit homo peccati, &c.*

QUÆSTIO V.

Quænam sunt futura signa in Cælis proximè antecedentia diem Judicii?

95. RE*spondeo Verbîs Christi Domini*, Matthæi 24. v. 29. *Statim post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum: & stellæ cadent de Cælo, & Virtutes Cælorum commovebuntur.* Ad meliorem intelligentiam prædictorum Verborum Salvatoris. *Signa in Sole Luna & Stellis eruntne ante Resurrectionem?*

Nota imò. Prædicta signa non erunt post Generalem Resurrectionem mortuorum., utì censebat S. Hieronymus, & S. Chrysostomus, sed ante eam; utì communiùs censent Patres & Theologi. Idq; videtur sufficienter constare ex ipsa scriptura; Lucæ enim 21. v. 25 & 26. dicitur: *Erunt signa in Sole & Luna & Stellis, & in terris pressura Gentium, arescentibûs hominibûs præ timore, Virtutes Cælorum movebuntur.* Jòëlis etiam Cap. 2do. v. 31. legitur. *Sol convertetur in tenebras, & Luna in Sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.*

96. *Nota 2dò.* Ex P. de Valentia, S. Ambrosius Lib. 10. in Lucam: circa illud Lucæ Cap. 21. *Erunt signa in Sole & Luna.* Et Sanctus Augustinus Tomô 2dô, Epistolâ 80. ad Esychium: prædicta Verba Salvatoris apud Sanctum Matthæum allegoricè interpretantur; scilicet, ut Solem & Lunam *obscurari*, sit, Ecclesiam, quæ Soli & Lunæ, in Sacra Scriptura comparatur, vix apparere, cùm cæperit immanis persecutio Antichristi. Vel, ut dicit S. Ambrosius, obscurari illam in multis *nube perfidiæ, quâ Sol Fidei obtenebretur.* Stellas autem de Cælo *cadere*, & Virtutes Cælorum *commoveri*, sit, multos tunc qui gratiâ *fulgere videbantur, persequentibus cedere, & cadere, & quosdam fideles firmissimos turbari.* Hæc Expositio Sanctorum Ambrosii & Augustini in sensu allegorico & morali si accipiatur, laudanda est. *In quo sensu erunt signa in Sole, Luna, & stellis?*

Tamen nullô modô negandum est, allegata Verba Christi Domini, ad literam, utì sonant, accipienda esse. *Ratio est.* Quia Universaliter, Verba Scripturæ Sacræ, in Sensu proprio, sunt accipienda, si nihil grave in contra obstat. Hìc autem nulla Ratio gravis nos cogit, hìc Metaphoricè tantùm interpretari, allegata Verba Christi. Neq; enim inde sequitur, quod S. Augustinus locô citatô indicat, scilicet, ut *Dominus appropinquante secundo Adventu suo, ea pro magno prædixisse videatur, quæ huic Mundo, & ante primum ejus Adventum consueverant evenire,* (nempe obscurationem solis, & Lunæ) *& irrideamur ab eis, qui his, quæ velut novissima, & omnium maxima horrescimus, plura in Historia Gentium, & multò majora legerunt.* Ita enim ratiocinatur illic Sanctus Augustinus. Est autem in promptu Responsio. Nam obscuratio illa Solis & Lunæ, & stellarum &c. non erit tunc talis, qualis naturaliter contingere solet, vel solita est per Ecclypses, & varias tempestates. Nempè in aliqua tantùm parte Terrarum, & permixta nonnullæ luci: sed erit planè insolita, & supernaturalis; nempè *simul ubiq; terrarum.* Et simul item Solis ac Lunæ, ac omnium Astrorum, & nullâ residuâ luce. Itaquè tenenda est Communissima Sententia Patrum & Theologorum, qui hæc exponunt literaliter; sicquè exponendum esse. *Confirmatur etiam ex eo.* Quia Sanctus Lucas Capite 21. v. 25. docet, hæc signa fore sensibilia, quibûs visîs, homines arescent præ timore, & exspectatione finîs. Ergo (ut bene infert P. Suarez) non rectè exponuntur de effectibus spiritualibus, qui nec videntur, nec magnum timorem incutere solent hominibus, præsertim vulgaribus, & qui spiritu non ducuntur. Unde multò minùs ex illis solis commoverentur ad exspectandum Orbis interitum. *Accedit.* Quia ibi ponuntur etiam signa futura in Cælo & in Terra. Et tamen de Terra, & signis in ea futuris sermo est proprius & literalis: ut concedi solet. Ergo etiam signa Cælestia, propriè in Sensu literali sunt intelligenda.

97. *Nota 3tiò.* Obtenebratio Solis & Lunæ non est futura per Ecclypsim aliquam; hæc enim non potest contingere simul in Sole & Luna, ut ostendunt Mathematici. Illa autem obscuritas Solis & Lunæ, eodem tempore est futura, ut prædicta narratio Evangelica significat. Unde autem proventura sit illa obscuratio Solis & Lunæ per totum Mundum, diversæ inter se sunt quinq; Sententiæ Patrum & Theologorum. 1. Origenes Tractatu 30. in Matthæum dicit. [Sicut in magnis " ignibus succendi incipientibus, tenebræ ex fumo plurimo, " solent extolli: sic in consummatione Mundi, ab igne qui ac- " cendendus est, obscurabuntur Luminaria magna.] Quare " censet, tantam fumi copiam futuram esse ex illo incendio, ut Sol & Luna obscuretur. 2. SS. Hilarius, Chrysostomus, Hieronymus. Item Theophylactus, & Euthymius sentiunt, tantam fore claritatem Corporis Christi gloriosi venturi ad Judicium, ut Sol ipse obscurari videatur: Sicut stellæ, apparente sole obscurantur. Ut Isaiæ cap. 24. v. 23. legitur: *Erubescet Luna & confundetur Sol, cùm regnaverit Dominus Exercituum in Monte Sion, & in Hierusalem, & in conspectu Senum suorum fuerit glorificatus.* 3. Multi Theologi, quibus favere videtur S. Thomas, sentiunt, Divinâ Virtute privandum suo lumine solem, & lunam. 4. P. Suarez, Cornelius à Lapide, pluresquè alii Theologi, & Interpretes Sacræ Scripturæ asserunt, solem obscurandum ex eo, & Lunam. Quia licèt retinebunt suum lumen, tamen illud non diffundent per illuminationem, atquè adeò nec illustrabunt àërem, & homines; suspendente DEO suum concursum ad id necessarium. Quæ Assertio congruit cum illis verbis, *& Luna non dabit lumen suum.* 5. Sotus, in 4to, Distinctione 46. Quæst. 2. Art. 3. cum nonnullis aliis opinatur, densissimam nubem opponendam esse Soli & Lunæ, quæ Nubes omnimodas tenebras oculis mortalium offusura sit in toto Mundo. Ex prædictis 5q; Sententiis, *prima* ordinariè rejicitur, ex eo, quia ex ejusmodi causa, facta obscuratio solis non videtur

Undenam proveniet obscuratio Solis & Lunæ?

sufficiens ad specialem terrorem incutiendum hominibus tunc viventibus. Est item Sententia multorum, conflagrationem Mundi futuram esse post diem Judicii, obscuratio verò luminarium antecessura est Judicium. *2da Sententia* non adeò probatur ex eo, quia obscuratio luminarium aliquot diebus antecessura est Adventum Christi è Cælo ad Judicium, ut dictum suprà in Notato imo. Reliquas tres Sententias, sentio cum pluribus, ferè æqualiter esse probabiles, nullam autem omninò esse certam & evidentem.

In quo sensu, Stellæ cadent de Cælo?

98. *Nota 4tò.* Per Verba illa Christi Domini, *& stellæ cadent de Cælo.* S. Hilarius, S. Beda & pleriq; Scholastici Theologi asserunt, nihil aliud debere intelligi, nisi obscurandas stellas, eô modô, quô dictum est, obscurandum esse solem, ut videantur stellæ hominibus Cælo excidisse. Solet enim Sacra Scriptura interdum ita de rebus loqui, sicut hominibus apparent. Et potest Confirmari ex illo Jòélis Cap. 3tiò. *Sol & Luna obtenebrata sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.* Nonnulli Veteres etiam Authores, non veras stellas, sed Dæmones, quibus plenus est àér, quiq; stellarum nomine intelliguntur, casuros dixerunt. Alii ex Recentioribus Theologis & Interpretibus, non veras stellas, sed Cometas, & similes stellas crinitas, quæ in àére conflantur, tunc casuras, dicunt. S. Chrysostomus & Euthymius sentiunt, in fine Mundi propriè dictas, & sidera è Cælo casura. Quod intellige (inquit Cornelius à Lapide) de stellis minimis, quæ proinde non apparent, nobisq; sunt invisibiles: nam alioqui stellæ visibiles, majores sunt totâ terrâ, ideoq; in eam cadere nequeunt. Utì docet communis Astronomia.

Quomodo intelligẽda hæc: Virtutes Cælorum movebuntur?

99. *Nota 5tò.* Verba hæc: *Et Virtutes Cælorum commovebuntur.* Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, Antonomasticè dictus. *Magister Sententiarum*, in 4tum. Distinctione 48. explicat sic: *Virtutes Cælorum, id est Angeli dicuntur moveri, non metu damnationis, vel aliqua perturbatione pavoris, sed quadam admiratione Eorum quæ viderint. Unde Job Cap. 26. dicitur:*

Colu-

Columnæ Cœli pavent Adventum ejus. Hanc Explicationem approbat S. Thomas, & plurimi Theologi. Pater item Franciscus Suarez in 3. P. Quæst. 59. Art. 6. Disp. 56. sect. 3tia. [Virtutes (inquit) " Cælorum, sunt Angeli, qui magna vi, Cælos gyrant, & mo- " vent: Hi commovebuntur. Quia ipsi quasi Ministri Divinæ " Justitiæ, & vindictæ in impios, mutabunt ordinem & modum " solitum movendi Cælos: Qua de causa omnia inferiora mi- " scebuntur, ac sursum deorsum ibunt.] Cornelius à Lapide ait: " [Simplicius per *Virtutes Cælorum* accipe ipsa sidera, eorum- " què influentias, sive vires influendi in hæc inferiora: quasi " diceretur. In fine Mundi, Astra Cæli maxima & validissima " mutabunt suos motus, aspectus, influentias. Itaquè omnia " in terris perturbabuntur, ut terra insolitis motibûs quassetur, " mare exundet, àér nubibûs, cometîs, fulgetrîs, tonitruîs, " aliisquè Meteôris & tempestatibûs, ita concutiatur, ut omnia " everti videantur.] Vel etiam (ut Sentit Pater Maldonatus " cum pluribus) [Illâ Metaphorâ: *Virtutes Cælorum commovebuntur*, " nihil aliud saltem præcipuè significatur, quàm firma- " mentum & robur, quod ipsum virtutis nomen declarare vide- " tur. Itaquè docet Christus Dominus, cardines ipsos & quasi " fundamenta Cæli, præ timore commovenda esse. Sicut ait " S. Petrus 2dâ Epistolâ, Cap. 3. v. 10. *Adveniet autem dies Do-* " *mini ùt fur, in quo Cæli magno impetu transient.* Hoc est Vir- " tutes Cælorum commovebuntur.]

QUÆSTIO VI.

Quænam signa proximè ante diem Judicii in Terra, & cæteris Elementis, habitantibusq; in eis præcessura sunt?

100. RESpondeo *Verbîs ipsius Christi Domini*, qui postquam dixisset Lucæ Cap 21. v. 25. *Erunt signa in Sole, & Luna,*

 & stellis,

& ſtellis, *ſtatim* ſubjungit. *Et in terris preſſura Gentium, præ confuſione ſonitûs marîs & fluctuum: areſcentibûs hominibûs præ timore, & exſpectatione quæ ſupervenient Univerſo Orbi.* Sicut enim dum fabrica quædam & moles magna, proximè minatur ruinam, Columnæ omnes, & tigna, ſtridore, concutiuntur, ſic tunc àër, mare, & terra, tanquam partes Mundi propinqui tunc ruinæ vehementiſſimè tunc commovebuntur: futuræ enim tunc terribiles tempeſtates, & aquarum in fluminibus, & mari commotiones, quæ ſtrepitum ingentem & horridum efficient: futuri item magni terræ motus, arbores convellentur, & ædificia corruent, & animalia cujusq; generis contremiſcent, hominesq; præ timore areſcent.

101. *Quæres. Quidnam ſentiendum de veritate terribilium ſignorum illorum quæ ex neſcio quibus Annalibus Hebræorum refert S. Hieronymus, & recenſita habentur apud Doctorem Angelicum S. Thomam in Supplemento 3tiæ partis Summæ Theologiæ. Quæſt. 73. Art. 1. habenturq; & apud S. Petrum Damiani eadem 15. Signa aliquantùm fuſiùs.*

Quænam Signa, ab aliquibus recenſentur, futura per 15 dies ante diem Judicii?

Præmitto. S. Petrus Damiani Opuſculo 59. Cap. 4. tradit, per quindecim dies ante Judicii diem futura ſigna hæc: " Signum (*inquit ille*) 1mi diei, maria omnia in altitudinem " exaltabuntur, quindecim cubitorum ſupra Montes excelſos " Orbîs terræ, non affluentia, ſed ſicut muri, æquora ſtabunt. " Signum ſecundi diei, Omnia æquora proſternentur in imum, " profundi, ita, ut vix queant ab humanis obtutibus videri. " Signum Tertii diei. Maria omnia redigentur in priſtinum " ſtatum, qualiter ab exordio creata fuerant. Signum quarti " diei: Belluæ omnes, & omnia quæ moventur in aquis mari- " nis congregabuntur ſuper pelagus, more contentionis invi- " cem mugientes, & rugientes, neſcientq; homines, quid can- " tent, vel quid cogitent, ſed tantùm ſcit DEUS, cui omnia " vivunt, officiô gerendi. Hæc 4tuor Signa, pelagi ſunt; & " tria ſequentia Signa, àëris & ætheris ſunt. Signum 5ti diei; Omnia

Omnia volatilia Cæli concionabuntur in campis unumquodq; "
genus in ordine suo; eædem Volucres invicem colloquentes "
& plorantes erunt, non gustantes, neq; bibentes, adventum "
Judicis timentes. Signum 6ti diei: flumina ignea ab occasu "
solis, surgent contra faciem Firmamenti, usq; ad ortum cur- "
rentia. Signum 7mi diei; Errantia sidera, & stationaria, spar- "
gent ex se igneas comas, qualiter in Cometis apparet, Orbi "
& ejus habitatoribus. Signum 8vi diei; Terræ motus erit "
magnus, ita ut nullus homo stare possit, aut nullum animal, "
sed solô sternentur omnia. Signum 9ni diei; Omnes Lapides, "
tam parvi, quàm magni scindentur in quatuor partes, & una- "
quæq; pars collidet alteram partem, nescietq; ullus homo so- "
num illum, nisi solus DEUS. Signum 10mi diei; Omnia Syl- "
varum ligna & olera herbarum, sanguineum fluent rorem. Si- "
gnum 11mi diei; Omnes Montes & Colles & omnia ædificia, "
humana arte constructa, in pulverem redigentur. Signum "
12mi diei; Omnia Animalia terræ, de Sylvis, & montibus ve- "
nient ad campos rugientia & mugientia; non gustantia, & "
non bibentia. Signum 13tii diei; Omnia ab ortu solis, se- "
pulchra, usq; ad occasum, patebunt, cadaveribûs surgenti- "
bûs usq; ad horam Judicii. Signum 14tæ diei; Omne huma- "
num genus, quod inventum fuerit de habitaculis & de locis "
in quibus erunt, velociter abscedent, Non intelligentes "
neq; loquentes, sed discurrent, ut amentes. Signum 15ti "
diei; Omnes Homines morientur, ut resurgant cum mor- "
tuis longè ante defunctis] hucusquè ex Sancto Petro Damiani.
Hoc Præmissô,

102 *Respondeo verbîs S. Thomæ*, locô suprà citatô. *Signa quæ Hieronymus ponit 15. præcedentia Judicium, non asserit, sed in Annalibus Hebræorum, se ea scripta reperisse dicit; quæ etiam valde parum verisimilitudinis habent.* Judicium istud Angelici Doctoris approbat P. Gregorius de Valentia. [Non immeritò (in- "
quit) judicat Divùs Thomas habere parum verisimilitudinis "
recen-

Quid censendum de signorum illorum veritate?

“ recensita signa quindecim. Et certè ad terrorem satis superq;
“ illa erunt, quæ certò & infallibiliter eventura tunc comme-
“ morantur ab ipso Domino in Evangelio.] Dominicus Soto
ex Celebri Ordine Prædicatorum doctissimus Theologus, in 4tū.
“ Distinctione 46. Quæstione 2dâ. Articulo 1mo. ait: [Hierony-
“ mus illa signa 15. non tanquam ex propria Sententia constitu-
“ it, sed dixit, se in Annalibus Judæorum ea invenisse. Sunt
“ autem, ut apparet, conficta. Posuit enim Christus Signa illius,
“ diei, & tamen nullius istorum meminit; nequè omnia viden-
“ tur esse rei convenientia.]

DISPUTATIO III.

De Resurrectione Mortuorum.

QUÆSTIO I.

An Resurrectio hominum futura, & an omnium?

103. PRæmitto 1mò. *Resurrectionem dicentes*, (verba sunt S. Damasceni Lib. 4tò de Fide Cap. 28.) *Corporum intelligimus resurrectionem. Est enim Resurrectio, secunda ejus quod interiit statio. Nam Animæ, cùm immortales sint, quomodo resurgent? siquidem mortem definientes, dicimus, esse separationem Animæ à Corpore. Resurrectio omnino erit conjunctio rursus Animæ & Corporis, & secunda iterataq; ejus, quod dissolutum fuerit, restitutio.* Et S. Augustinus Lib. 8vô. de Trinitate Cap. 5. *Quid est* (inquit) *aliud resurgere, nisi reviviscere, id est ex morte ad vitam redire?* Porro. Resurrectio, quæ à morte peccati, ad Gratiam sanctificantem, quæ est spiritualis vita Animæ, peccator resurgit, vocaturq; in Apoc: Cap: 20. v. 5 *Resurrectio prima*, de qua item Resurrectione 1ma loquitur Dominus in Parabola prodigi filii dicens Lucæ Cap: 15. v 24. *Filius meus hic mortuus erat, & revixit: perierat, & inventus est.* Talis inquam Resurrectio est impropria, & Metaphorica. *Resurrectio, quid?*

104. *Præmitto 2dò.* Omnes ferè Gentiles Philosophi negârunt veram Resurrectionem. Unde Tertullianus Lib: de Descriptione Hæreticorum Cap: 7. *Ut carnis* (inquit) *restitutio negetur* *Quinam negârunt Resurrectionem?*

getur, de una omnium Philosophorum schola sumitur. Negârunt item inter Judæos, Saducæi, ut constat ex Matthæi Cap:22. v. 23. Marci Cap: 12. v. 33. Actorum 23 v. 8. & post Christum multæ Hæreses natæ sunt, Duce Simone Mago, Cerdone, Marcione, Basilide, Appelle, & aliis Gnosticîs, negantes omnino Resurrectionem. Imò difficilis adeò creditu visa est; ut testante Evagrio Lib: 1mo. Cap, 15. Et Nicephoro Lib: 14. Cap; 55. Synesius ipse ex Platonico Philosopho, Christianam Religionem professus, & baptismô initiatus, cæteris quidem assentiretur fidei Mysteriis, Resurrectionis tamen Articulum minimè reciperet, Doctrinam eam detestatus, quam tamen tandem admisit. Quæ tamen doctrina adeò certa est apud Christianos, ut S. Justinus Martyr Dialogô cum Triphone, non sentiat eos habendos esse Christianos, qui Resurrectionem mortuorum negant. Et Tertullianus Lib: de Resurrectione carnis Cap; 3tio. *Adeò* (inquit;) *non erit Christianus, qui Eam negabit, quam confitentur omnes Christiani & his Argumentîs negabit, quibus utitur non Christianus.* His præmissîs.

Quam difficilis creditu?

Resurrectionis Possibilitas ostenditur.

105. *Respondeo imò. Resurrectio mortuorum est possibilis.*

Probatur. Nullitate implicantiæ: Et certe: Quâ evidentiâ probatur, DEUM posse aliquid ex nihilo creare, eâdem ferè evidentiâ probatur, DEUM, eandem rem corruptam posse recreare, præsertim in homine, post cujus corruptionem manent partes ex quibus componitur: ut enim rectè argumentatus S. Gregorius Magnus Homiliâ 26. in Evangelia. *Longè minùs est, DEO, reparare, quod fuit, quàm creâsse, quod non fuit. Aut quid mirum si hominem ex pulvere reficiet, qui simul omnia ex nihilo creavit.* Et Homiliâ 20 in Ezechielem: *Mirari* (inquit:) *solent, qualiter caro reviviscere possit ex pulvere. Mirentur igitur altitudinem Cœli, molem terræ, abyssos aquarum, omnia quoq;, quæ in Mundo sunt, & ipsos Angelos creatos ex nihilo. Minùs est valde, aliquid ex aliquo facere, quàm omnia ex nihilo fecisse.* Et S. Augustinus Serm: 19. de Verbis Apostoli. *Te appello* (inquit:) *qui-*

cunq;

eumq; infideli animô de Resurrectione dubitas, & putas non posse mortuos resuscitari. Quid est amplius, ex nihilo homines facere, qui vivant: an eos qui facti sunt, & vixerunt reparare post mortem? Utiq; plus est facere, quod nunquam fuit, quàm reparare, quod fuerit. Quomodo ergò impossibile esse dicis, ut DEUS, qui hominem formavit ex nihilo, reformet? Quomodo nos suscitare non potest conversos in pulverem, etiamsi in nihilum rediremur, facere poterat, ut essemus: Sicut & fecit nos esse, cùm antea nünquam fuissemus? Similia habes Sermone 64. De Verbis Domini. Et Epistolâ 49. Quæst: 1. Et Epist: 146. & sæpè alibi. Eandem Rationem ex Creatione desumptam, sapientissimè expendit S. Cyrillus Hierosolymitanus, Cathechesi 4. & 18. Athenagoras Libro de mortuorum Resurrectione. Lactantius Lib: 7. Cap. 23. & alii. Et certè dicta Ratio, videtur ferè habere vim Demonstrationis.

Confirmatur Responsio 1ma ex dictis sub Responsione 2da, quæ sequitur.

106. *Respondeo 2dò.* Certum est ex Fide Orthodoxa, futuram Resurrectionem hominum.

Resurrectionis futura veritas, multifariè probatur & illustratur.

Probatur id Clarissimìs, & disertissimìs Verbìs gravissimorum Virorum, & Sanctorum, qui tempore Legis Naturæ, & Legis Scriptæ, & Legis Gratiæ vixerunt. *1.* Ex Lege Naturæ, habemus Sanctissimum & patientissimum Job: qui sic loquitur Cap; 19. V. 25. & seq. *Scio, quòd Redemptor meus vivit; Et in novissimo die, de terra surrecturus sum, & rursum circümdabor pelle meâ, & in carne mea videbo DEUM meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius, reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Hæc certè Sententia clarissima est, & Authorem habet antiquissimum, & veracissimum, ut nullô modô Fideles de Ejus Auctoritate dubitare possint. De hoc testimonio S. Jobi allato, rectè S. Hieronymus, Tomô 2dô. paulò ante medium ad Pammachium, adversùs Errores Joannis Hierosolymitani ait. *Quid hâc Prophetiâ manifestius? nullus tam apertè post Christum, quàm iste ante Christum de Resurrectione loquitur.* 2. Ex Le-

gis Scriptæ tempore. habemus Danielem Prophetam, unum ex veteris Teſtamenti Prophetis primariis, qui in Libro ſuo, Cap: 12. v. 2. habet hæc: *Multi qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in Vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant ſemper.* Quô locô, S. Propheta dicit, eos qui dormiunt in terræ pulvere evigilaturos; quia tam facilè, imò longè faciliùs DEO erit efficere, ut mortui reſurgant, quàm facilè nobis eſt facere, ut dormientes evigilent. Cùm autem dicit *multos* evigilaturos, non negat, omnes evigilaturos; ſed ſignificat ingentem fore multitudinem reſurgentium, acſi dixiſſet, omnes evigilabunt, qui non erunt pauci, ſed multi valde: quô loquendi modô utitur ſæpè Scriptura, ut S. Paulus ad Romanos cap: 5. v. 18. *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem.* Et paulò poſt idipſum repetens dicit *Per unius inobedientiã, peccatores conſtituti ſunt multi:* Ubi quos vocaverat *omnes*, paulò poſt idẽ S. Paulus vocat *multos*, ut intelligamus, illos omnes, non fuiſſe paucos, ſed multos. Et Cap: 26. Matthæi, v. 28. dicitur. *Qui pro vobis & pro multis effundetur.* In Libro item 2do Machabæorũ Cap: 7. legimus, Sãctos Martyres Machabæos Fratres ſeptem & eorum Matrem ideò potiſſimè fortiter toleràſſe acerbiſſimam mortem, quia certò ſperabant in die noviſſimo ad vitam æternam ſe reſuſcitandos, dicebantq; ad Tyrannum Antiochum Regem. *Tu quidem ſceleſtiſſime, in præſenti vita nos perdis; ſed Rex Mundi, defuturos nos pro ſuis Legibus, in æternæ vitæ reſurrectione ſuſcitabit. E cœlo iſta poſſideo,* (lingvam & manus) *ſed propter DEI leges nunc hæc ipſa deſpicio: quoniam ab Eo, hæc ipſa me recepturum ſpero. Potius eſt ab hominibus morti datos, ſpem exſpectare à DEO, iterum ab ipſo reſuſcitandos: Tibi enim reſurrectio ad Vitam non erit.* Supra modum autem Mater mirabilis, quæ pereuntes ſeptem Filios ſub unius diei tempore conſpiciens, ſingulos eorum hortabatur dicens; *Neſcio qualiter in utero meo apparuiſtis, neq; enim Ego Spiritum & Animam donavi vobis, & vitam, & ſingulorum membra non Ego ipſa compegi. Sed enim Mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quiq; o-*

mnium

mnium invenit originem & spiritum, vobis iterum cum misericordia reddet & vitam. 3. In lege demùm Gratiæ Christus Dominus sæpissimè in Evangelio resurrectionis mortuorum, mentionem fecit, adeò ut S. Martha ab ipso edocta, cùm audîsset, Joannis Cap: 12. *Resurget Frater Tuus.* Respondit. *Scio quòd resurget in resurrectione in novissimo die.* Et eandem Resurrectionis Fidem confirmandum, & Discipulis potestatem dedit mortuos suscitandi, & Ipse, tùm aliós, tùm præcipuè Lazarum suscitavit. S. etiam Paulus 1mâ ad Corinth: 18. sat copiosè de Resurrectione mortuorum ait: Imò 1ma Epist: ad Thessal: Cap; 4to describit etiam modum & ordinem resurrectionis.

107. Pro eadem Veritate sunt plurima alia Testimonia in Scriptura Sacra, inter quæ & illud, quòd Ezechiel Propheta, ut legitur apud eundem Capite 37. in Spiritu Domini eductus fuerit in campum, qui erat plenus ossibus, & jussus est illis vaticinare. *Ecce ego intromittam in vos spiritum, & vivetis; & dabo super vos nervos, & succrescere faciam super vos carnes, & superextendam in vobis cutem; & dabo vobis Spiritum & vivetis, & scietis, quia Ego Dominus.*

108. Probatur 2dò. aut veriùs illustratur veritas Mysterii Resurrectionis nostræ, Rationibûs variîs à Patribus, & Theologis. *1mò.* Anima rationalis est immortalis & vera corporis forma; ut etiam meliores Philosophi Gentiles confitentur. Ergò par erat, ut Corpus immortale sortiretur. Et verè DEUS, initiô creationis fecerat hominem *inexterminabilem*, ut dicit Spiritus Sanctus in Libro sapientiæ Cap: 2dô: *Sed invidiâ Diaboli Mors intravit in Orbem Terrarum.* Quarè æquum fuit, ut DEUS rationem, & modum inveniret, quô corpus mortuum, iterum rediret ad vitam, Eamq; sinè ullo fine duraturam. *2dò.* Pulchritudo Universi hujus consistit in tribus, Nempè in Substantiis purè corporeis, & in mixtis ex Spiritu & corpore, qualis est homo: non erat igitur congruum, ut in perpetuum Orbîs pulchritudo, hâc mediâ Creaturâ destitueretur; Quod contingeret, nisi Animæ

Animæ per Reſurrectionem, Corpora reſumerent. *3tiò*. Decet Divinam Juſtitiam, ut qui benè agit, remuneretur; & qui malè actis DEUM offendit, puniatur: Conſtat autem merita atq; demerita, actiones eſſe Compoſiti rationalis. Ergò & præmium felicitatis, vel infelicitatis reddēdũ erit Cōpoſito humano. Deĩde quis perſvadere ſibi poſſet DEUM juſtum Judicē permiſſurum fuiſſe, ut plurimi viri Sancti paterentur anguſtias, & perſecutiones totô vitæ ſuæ tempore, & Corpora Eorum ab improbis cum doloribus multis interficerentur, ſi non eſſet alia, vita, in qua corpora illa reſurgerent, & patientiæ præmia reportarent? *4tò*. Reſurrectionis Fides Exemplîs adſtruitur. S. Ambroſius Tomô 4tô in Oratione de Fide Reſurrectionis, ait: *Quid miraris ſi homines, quos acceperat terra reſtituat; Cùm ſeminum corpora, quæ cum vi ſuſceperit, vivificet, erigat, veſtiat, muniat, atq; defendat? Deſine Ergo dubitare, quòd cùm depoſitum generis humani Terræ, Fides reddat, quæ commendata ſibi ſemina, uſurariô quôdam fænore multiplicata reſtituat.* Et S. Gregorius Magnus Lib: 14. Moralium. Cap: 30. poſt multa Exempla à rebus naturalibus ducta, ad Reſurrectionē comprobandã, illud de Grano Seminis arborei adducit. *Conſideremus ergò* (inquit) *parvum cujuslibet arboris Semen, quod in terram iacitur, ut Arbor ex illo producatur. Et comprehendamus, ſi poſſumus; ubi in illa tanta brevitate Seminis, tam immenſa arbor latuit, quæ ex illo proceſſit, Ubi lignum, ubi cortex, ubi viriditas foliorum, ubi ubertas fructuum? Nunquidnam aliquid in ſemine tale videbatur, cùm in terram jaceretur? Et tamen occulto rerum omnium Opifice, cuncta mirabiliter ordinante, & in mollitie ſeminis, latuit aſperitas corticis, & in teneritudine illius, abſconſa eſt fortitudo roboris; & in ſiccitate ejus, ubertas fructificationis. Quid ergo mirum, ſi tenuiſſimum pulverem, vel à noſtris oculis in Elementis redactum, cùm vult, in hominem reformat, qui ex tenuiſſimis ſeminibus, immenſa robuſta redintegrat?*

109. *Accedit* Aliquomodo ad illuſtrationem Reſurrectionis mortuorum. Quòd Platonici gentiles Philoſophi, ſenſerint eas

dem

dem Animas, ad sua eadem corpora, certis confectis Syderum ac Cælorum confectis cursibus redituros. Et S. August: Lib: 22. de Civit. Dei. Cap: 28. refert. quod M. Varro. in Libris de Gente Populi Romani Scripserit, genethliacos quosdam fuisse qui docebant, Corporum resurrectionem annis Quadringentis confici ut elapso illo tempore eadem Anima in idem corpus, cui prius erat unita ingrediatur.

Alias Jllustrationes & Argumenta pro firmanda veritate Resurrectionis generalis, vide apud Tertullianum Lib: de Resurrectione carnis, S. Clementem Romanum Lib: 5: Constit: Cap. 6tô. S. Ambrosium, Lib: de Fide Resurrectionis, præsertim à cap: 3. ad 7mum. S. Gregorium Nyssenum in Disputatione cum Sorore Macrina. &c.

110. Sed quid Argumentis opus pluribûs & longioribus? [Sola fætuum, natura (ait sapientissimè Theodoretus, Natione Syrus, Episcopus Cyri, Civitatis in Syria, qui etiam interfuit Concilio Chalcedonensi, floruit Annô 430. ait inquam Sermone 9no de Providentia] Primaq; hominum in utero Matris " formatio, dormientium hominum resurrectionem sufficienti " demonstratione docere potest; Finge Maternum uterum esse " terram, matricem sepulchrum, semen verò naturæ, parvulas " illas & pulverem referentes corporis reliquias; quod cum cun- " ctis hominibus omnino inconspicuum sit, Deo tamen facilè " cernitur, & oculum illum nemo effugit. In manu enim ejus " sunt termini terræ, & ipse metitus est manu aquas, & Cælum " palmâ, & terram omnem pugnô, & facilè illi est, ea quæ in " manu sunt perspicere; nam & tibi idem facillimum factu est. " Et si miscere simul voles milium & lentes, & triticum, & hor- " deum, eadem facilè discernis rursus, prout voles. Si itaq; in " manu Dei sunt termini terræ facillimum ei est, ea quoque, quæ " omnino commissa sunt, exactè discernere. Finge igitur ma- " tricem esse sepulchrum, semen verò, jacentes illic reliquias, " Creatorem verò, qui verè Creator est; partûs verò dolores, "

novissi-

" novissimum vitæ diem, & horrendam Archangeli vocem. Nam
" *tuba clanget & mortui excitabuntur incorrupti*] Hucusq; The-
" odoretus eruditissimus.

Ad meliorem intelligentiam dictorum.

Omnes Justi, propriè resurrecturi sunt, necnon damnati.

III. *Nota imò.* Certum est, omnes homines (si ex speciali privilegio Beatam Virginem excipias & quosdam forsan alios, de quibus mox infra in Notato 3tio) Sanctos & Justos, qui ante resurrectionis diem mortui fuerint: item omnes homines adultos, ad infernum propter peccata propria damnatos, esse in generali Resurrectione, verè & propriè suscitandos. Id enim clarissimè constat Tum ex illis Verbis Christi Domini, Joan. 5. *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii DEI, & procedent qui bona egerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem Judicii.* Tum ex verbis S. Apostoli Pauli 2da ad Corinth. 5to. *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisq; proprium Corpus prout gessit, sive bonum sive malum.* Tum ex dictis in Probatione Responsionis secundæ. Certum item est. Infantes omnes, qui jam nati, in peccato originali mortui sunt, fore tunc resuscitandos. Certum Item Infantes inquam. Tum quia Scripturæ Sacræ testimonia allata, & Symbolum Fidei, omnes homines resurrecturos; nec ullum est fundamentum excipiendi infantes illos; siquidem & illi sunt homines. Tum quia S. Paulus, 1ma ad Corinth. cap. 15. dicit. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*, vita non solum Animæ sed etiam corporis: de qua ibi est Sermo; Hujusmodi verò infantes mortui sunt in Adamo, ergo suscitabuntur in Christo. S. etiam Augustinus in Enchiridio, cap. 84. ait: *Resurrecturam carnem omnium, quicunq; nati sunt hominum, atq; nascentur, & mortui sunt, atq; morientur, nullo modo dubitare debet Christianus.* Item asserendum est de Infantibus qui moriuntur in maternis uteris. imò de quibusvis abortivis fœtibus, supposito, quòd

jam hi fætus ad rationalem animationem pervenerint. Quamvis Divus Augustinns lib. 22. de Civit. DEI, Cap. 13. & in Enchiridio cap. 85. videtur aliquomodo esse dubius; an fætus abortivi resurrecturi sunt.

112. *Nota 2dò.* Veteres pleriquè Hæretici diffitebantur Resurrectionem mortuorum, & pro suo errore defendendo, afferebant verba illa S. Pauli, 1ma ad Corinth. 15. *Caro & Sanguis, Regnum DEI non possidebunt*: ut testatur S. Irenæus lib. 5tô. cap. 9nô. Sed ab eodem S. Irenæo & aliis Patribus facilè & rectè respondetur: *Per Carnem & Sanguinem*, intelligi ab Apostolo vel ipsa opera prava, quæ sunt non juxta Spiritum sed secundùm *Carnem*. Vel naturam hominis, ut est nunc corruptioni & peccatis obnoxia. Vel eandem hominis naturam *nudam* sine præsidiô gratiæ & adjutoriô Spiritûs Sancti consideratam: vel certè omnia ista tria simul: quorum nullum, ut patet Regnum DEI possidere poterit. Poterit autem illud possidere *Caro* cùm resurrexerit in *incorruptione*, & munere Divino, ut ibidem scribit S. Paulus. Illorum autem verborum Psalmi 1mi. *Non resurgent impii in Judicio*, expositio recta est præcipuè triplex. Prima, ut intelligatur de Resurrectione ad vitam: Hæc enim Resurrectio, solet in scriptura quasi per antonomasiam, *Resurrectio* appellari. Secunda. Quòd (ut explicat S. Basilius & Theodoretus) Non resurgent in Judicium: hoc est, ut eorum causa examinetur, & ipsi convincantur, quia eorum impietas eos satìs judicat & condemnat. Tertia. (quæ maximè videtur esse literalis Patri nostro Suarez, & aliis pluribus) est hæc: *Non resurgent* id est, caput non erigent, non subsistent, nequè pro se respondere poterunt.

Objectiones Hæreticorum quorundam solvuntur.

113. *Nota 3tiò.* Indubitatum est, Beatam Virginem post mortem suam (quæ contigit non Annô ætatis Ejus 57. vel 63. ut quidam volunt: sed probabiliùs, ut communior asserit sententia, contigit Annô ætatis ejus 72.) Indubitatum inquam est, Beatam Virginem, paulò post mortem suam, ad gloriosam & immor-

B. Virgo quô Annô ætatis suæ, obiit?

Certum est, Eam resurrexisse.

mortalem vitam corporis & Animæ resurrexisse, atquè in Cælum assumptam cum Virgineo Corpore. ut sentit Universa Ecclesia, adeoquè non resuscitandam esse in generali Resurrectione. Indubitatum item est, neminem ante Christum, resurrexisse ad vitam immortalem. Nam 1. ad Corinth. 15. legitur. Christus resurrexit à mortuis *primitiæ dormientium*. Et ad Colos. 1. Vocatur Christus *Primogenitus ex mortuis*. An verò sancti de quibus legitur Matth. 27. versu 52. & 53. *Monumenta aperta sunt & multa corpora Sanctorum, qui dormierunt, surrexerunt: & exeuntes de monumentis post Resurrectionem ejus, venerunt in Sanctam Civitatem & apparuerunt multis:* An inquam hi sancti post Resurrectionem rursum sint mortui, & ad sua monumenta redierint; an verò manserint semper vivi, & in gloriosis corporibus, incertum est. S. August. Epistolâ 99. ad Evodium, Theophilactus, Euthymius, Barradias, & alii censent, eos iterum mortuos, ac resurrecturos cum aliis ad vitam beatã in die Judicii. Et in S. Brigittæ lib. 6tô Revelationum cap. 94. & lib. 7. cap. 26. est. *Scias* (inquit B. Virgo ad Brigittam) *quòd nullum corpus humanum in Cælo est, nisi gloriosum Filii mei, & Corpus meum.* E contra Origines lib. 1. ad Rom. circa illa verba Capitis 1mi. Ex Resurrectione JESU Christi Domini nostri: S. Epiphanius hæres. 76. S. Hieron. S. Beda, S. Anselmus, Cornelius à Lapide & passim Recentiores, censent, Sanctos illos non amplius esse mortuos, sed resurrexisse ad vitam immortalem. Vide rationes pro & in Contra apud P. Franciscum Suarez in 3. partem. Quæst. 43. Art. 3. Et apud Cornelium à Lapide in cap. 27. Matth. Porro, quinam fuerint hi sancti, qui cum Christo resurrexerunt, non omnino liquet. Noster Cornelius à Lapide dicit esse verosimile, imprimis eos fuisse, qui peculiarem ad Christum relationem vel parentelæ, vel promissionis sibi factæ, vel typi, & figuræ, vel Fidei & Spei, vel Castitatis & Sanctitatis habuerunt; utì fuêre Adam, Abraham, Isaac, Jacob, Melchisedech, David, qui nonnisi in terra promissionis sepeliri voluerunt, ut Resurrectionis Christi forent participes. Item

An qui cum Christo resurrexerunt, iterũ mortui?

Quinam cum Christo resurrexêre?

Job & Jonas, qui resurrectionem Christi in se adumbrârunt. Ad hæc, Moyses, Josue, Samuel, Isaias, Jeremias, Ezechiel. aliiquè Prophetæ. Alii addunt, Zachariam, & Simeonem. Pater Raynaudus noster opinatur tunc resurrexisse etiam bonum Latronem. Lib. de eo. cap. 13.

Omnes ne morientur, & resurgent?

114. *Nota 4tò. Communior & Securior est opinio. Quòd omnes morientur & à morte resurgent.* Verba sunt Sancti Thomæ in Supplemento 3. p. Quæst. 78. Artic. 1mo. Et in 1, 2. Quæst. 81. Art. 3. ad 1mum, Idem Angelicus Doctor dicit. *Probabiliùs & congruentiùs tenetur, quòd omnes illi, qui in adventû reperientur, morientur, & post modicum resurgent.* Et hanc sententiam defendunt (ut ait Suarez in 3. part. Quæstione 56. Art. 2. Disput. 1. Sect. 2.) Omnes Scholastici in 4. Disp. 43. & communissimè recentiores scriptores Catholici. Et ita etiam senserunt SS. Patres ut August. lib. 20. de Civit. DEI cap. 20. Ambrosius. &c. Licèt aliquos transituros sine morte ad vitam immortalem, censuit S. Epiphanius hæresi 64. & S. Hieronymus in Epistola ad Marcellam, & quidam recentiores. Pro communiori autem & securiori sententia stare videtur etiam S. Scriptura, dicitur enim Psal. 88. *Quis est homo qui vivet, & non videbit mortem?* Et ad Romanos 5. *In omnes homines mors pertransiit.* & 1. ad Corinth. 15. *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Et ibidem: *Omnes resurgemus.* Et ad Hebræos 9. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem Judicium.* Ad illud verò, quod in contra objicitur. Utiquè in Symbolo Fidei dicitur? quòd Dominus venturus est *judicare vivos & mortuos:* Hoc autem non potest intelligi quantùm ad tempus judicii: quia tunc erunt omnes vivi. Ergo oportet, quòd referatur hæc Distinctio ad tempus præcedens, & ita non omnes ante Judicium morientur. Ad hanc Objectionem, Respondeo verbîs Sancti Thomæ locô suprà citatô: [Distinctio illa mortuorum & vivorum non est " referenda ad ipsum Judicii tempus. Neq; ad totum tempus "

Quis sensus verborum. Venturus est judicare vivos, & mortuos?

" præteritum: Quia omnes judicandi, aliquo tempore fuerunt " vivi, & aliquo tempore mortui, sed ad illud tempus deter- " minatum quod immediatè Judicium præcedet, quando scili- " cet Judicii signa incipient apparere.] Tunc enim erunt quidam mortui & quidam vivi: sed hi quoquè morituri & resurrecturi ad Judicium.

115. *Nota 5tò seu ultimò.* Si quæratur, Cur ad illustrandam veritatem de resurrectione mortuorum futura, non assumpserim Exemplum Phænicis, qui semetipsum libenter funerans renovat, de ipso suo cinere reviviscens? utiquè etiam aliqui ex Patribus (ut S. Cyrillus Catechesi 18. S. Ambrosius in Oratione de Fide Resurrectionis. S. Epiphanius in Libro suo, cui titulus *Ancoratus.* Tertullianus in Libro de Resurrectione Carnis) utuntur exemplô Phænicis ad suadendam & illustrandam Corporum Resurrectionem? *Respondetur.* Ideo non assumpsi Exemplum Phænicis; Censeo enim cum plurimis, imò jam cum ferè omnibus recentioribus Classicis scriptoribus, qui scripserunt de Phænice, nullum esse talem Phænicem nec fuisse, qui unicus sit, quiquè ex cinere renascatur. Ita præter alios sentiunt & probant, Pererius, Aldrovandus, Cornelius à Lapide in Caput 7mum Genesis, & alibi. Conimbricenses in Libro 2do de Cælo. Cap. 3tio. Quæst. 6ta. Articulô 4tô. &c. *Ratio est 1ma.* Quia perfecta animantia non possunt naturaliter generari ex putri vel cinere, ut deducit rectè Philosophia: Phænix autem dicitur esse ex numero perfectorum animantium. Asseritur enim, quòd sit æqualis quò ad magnitudinem, aquilæ, sit pulchrior pavone, collumquè ejus resplendeat auri fulgore, cæruleo, roseis caudam pennis distinguentibus, Caput plumeo apice honestante. *Ratio 2dà est.* Quia nullus est, qui asseveret se vidisse Phænicem: Item, qui asserunt Phænicem, valde inter se de eo dissentiunt: Tum circa ejus ætatem, alii enim asserunt, eum vivere annos 660. alii 540. alii 500, alij multò plures. Tum circa modum generationis illius ex unico parente. Quidam enim, ajunt, (ut notant

Phænix non est Avis realis, sed Symbolica.

tant

tant Conimbricenses) eum, semetipsum vellicatu vulnerare, & ex cruore primùm, ceu vermiculum nasci, qui in demortui locum succedat; mox pullum fieri priori formâ similem. Alii ex putrefacta parentis carne gigni vermem, qui deinde in avem efformetur. Alii dicunt, parentem structô in palmæ alicujus vertice, ex casa, nardo, cynamomo, & myrrha, nido, se superimponere, & excitatô alîs ad radium solis incendiô, in odoribus vitam finire, atquè ex eo cinere, Phænicem alterum, quasi eundem reviviscere. *Ratio 3tia.* Quia constat ex Sacra Scriptura Genesîs 7mo: ex singulis animalibus bina, scilicet marem & fæminam, inducta esse in Arcam. Phænix verò unus & solus dicitur esse in Mundo. Ergo (ut argumentatur Pererius & Aldrovandus) Phænix non fuit in Arca, ac proinde nullus Phænix est aut fuit in Mundo. *Accedit.* Quia Plinius Libro 10. Naturalis Historiæ, Cap. 2, ait: *Allatus est in Urbem* (Romam) *Phænix, Claudii Principis censura, Annô Urbis 800. & in comitio propositus, sed quem falsum esse nemo dubitaret.*

Quodsi dicatur cum aliquibus, Phænicem non esse unum, sed plures insimul, nec se ipsum resuscitare, sed more communi generari; tunc jam alius Phænix ponitur ab eo, qui à Veteribus ponitur quasi Symbolum & typus Resurrectionis: & tales Phænices se habere Abyssini, aliiquè jactitant: nisi ergo quæstio sit de nomine (utor verbîs Cornelii à Lapide) dicendum est Phænicem non esse, nec fuisse in Mundo. Videtur ergo de Phænice narratio, fortè inde orta, quòd Ægyptii, Heliopoli (quæ est Urbs Ægypti & Latinè Civitas solis dicitur, quòd in ea esset simulacrum & Templum solis) solem quasi Avem orientem & occidentem, pinxerint; Hunc fecerunt & finxerunt esse Phænicem, cùm tantum esset Symbolum & Hieroglyphicum solis, qui quasi Phænix solus est in Mundo. *Adverte.* Patres cùm utuntur Exemplô Phænicis ad illustrandam Corporum resurrectionem, id nequè asseverant, nequè ex proprio sensu asserunt, sed ex aliorum scriptis referunt, quasi dicant. Si homines sibi per-

Cur Patres assumunt Exemplum Phænicis pro illustranda Resurrectione?

ſuadent, poſſe evenire naturaliter, ut Phænix ex ſuiſmet Cineribus reparetur, & reviviſcat, Cur non credant: Poſſe humana corpora etiam in cineres redacta Poteſtate Divina ad vitam reſuſcitauri.

QUÆSTIO II.

Reſpondetur ad 13. Quæſita concernentia Modum & Circumſtantias futuræ Reſurrectionis.

Futura Reſurrectio poſſibilis eſt, Solâ Divinâ virtute.

116. QUæritur 1mò. Reſurrectio futura, an Divina ſola virtute ac ſupernaturaliter ſolùm poſſibilis eſt? *Reſpondetur Affirmativè.* Ita omnes Theologi Claſſici, idq; aſſerunt SS. Patres ut Dionyſius Areopagita Cap. 6. de Divinis Nominibus. Damaſcenus Lib. 4tò de Fide Cap. 28. Gregorius Magnus, Homiliâ 20. in Ezechielem. Et S. Chryſoſtomus Homiliâ 8vâ in 1mam ad Theſſal: dicit: *Reſurrectio eſt Divinæ virtutis Opus.* Ratio item eſt. Quia non utcunq; reſurget Corpus humanum, ſed immortale, glorioſum, & ut S. Paulus ſcribit: 1. ad Corinth. 15. v 44. *Spirituale.* Certum autem eſt, hujusmodi proprietates, non eſſe naturales Corpori humano: neq; ab ulla Cauſa naturali ſecundùm proprias vires naturales ab Agente conferri poſſe.

Reſurrectio etiam præcisè ſpectata, naturaliter fieri nequit.

117. *Quæritur 2dò.* Reſurrectio, ſi præcisè etiam conſideretur, ut eſt reparatio ejuſdem numero hominis, qui antea fuerat, poteſtne virtute naturali alicujus Agentis naturalis fieri? *Reſpondetur cum S. Thoma & communi Theologorum Sententia, Negativè. Ratio eſt.* Quia aliàs ſic conſiderata Reſurrectio, eſſet naturalis: Sed non eſt naturalis; nam (ut rectè arguit S. Thomas in ſupplemento Tertiæ Partis, Quæſtione 75. Articulô 3tio) à privatione ad habitum, non fit regreſſus ſecundùm naturam: ſeu naturaliter: Sed mors eſt Privatio Vitæ: Ergo reſurrectio, per quam eſt reditus de morte ad vitam, non eſt naturalis. Et

Aristoteles Lib. 2. de Generat: dicit: *Non redit, quod corruptum est.* Modus item naturalis, quô homo oritur, est generatio ejus ex simili in specie; quod non erit in Resurrectione. Ergo non erit naturalis; sed simpliciter & absolutè loquendo, erit supernaturalis. Nam ex parte *Principii*, erit supernaturalis, licèt terminus illius, si absolutè consideretur quiddam *naturale* erit. nempè ipsum *esse Hominis*. *Confirmatur Responsio* à Patre Suarez; Ex difficultate, quæ semper fuit in credenda mortuorum resurrectione, non solùm propter specialem modum, quô futura est; quia nec Philosophi illum modum agnoscebant, nec semper ab Apostolis prædicabatur: Sed simpliciter & absolutè propter reparationem ejusdem numero corporis, quod ceciderat. Unde & in credenda ipsa Christi Resurrectione, tanta fuit Discipulorum difficultas, & ignoratia, ut viderentur illis, deliramenta, verba, quæ de illa dicebantur. *Illustratur*: Universaliter non potest naturaliter reproduci idem numero effectus. Alioquin calor ejusdem aquæ ab eodem igne, semper esset idem numero, etiamsi millies deperderetur & acquireretur. Similiter quotidianum Lumen, quod in àère fit à sole, esset quotidie idem numero; quæ sunt incredibilia: ut dicit Magnus Suarez.

118. *Quæritur 3tiò*, Christus Dominus Virtute sua, & Angelorum ministeriô, aliquidne effecturus in illa generali futura Resurrectione? *Respondetur cum omnibus SS. PP. & Theologis Affirmativè. Ratio est*, Quia ipsemet Christus dicit Joan. 5. *Amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est* (scilicet in hac extrema Mundi ætate) *quando mortui audient vocem Filii DEI, & qui audierint, vivent*. Et paulò infrà ibidem. *Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Ejus, & procedent, qui bona fecerunt in Resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem Judicii.* Et Matthæi 24. ipse Dominus ait: *Mittet Angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt Electos Ejus, à quatuor ventis, à summis Cælorum, usq; ad terminos*

Christus Dominus & ministerium Angelorum, operabitur resurrectionem.

nos Eorum Id est, ubicunquè sub Cælo fuerint : & in quocunq; terræ extremo & termino jaceant. Et *S.* Paulus 1ma ad Thessalonicenses 4. *Quoniam ipse Dominus in voce, & in jussu Archangeli, & in tuba Dei, descendet de Cælo, & mortui resurgent.* Porrò Christi vox ita mortuos suscitabit, sicut solet vox magna sonô suô excitare dormientem, & insimul ab illo excitato audiri; ut explicat S. Thomas in supplemento 3tiæ partis. Quæst: 76. Artic: 2. ad 2.

Per Vocemne Sensibilem à Christo Domino fiet Resurrectio?

119. *Quæritur 4tò.* An vox illa, de qua Christus dicit Joan. 5. *Mortui audient vocem Filij Dei.* Et *omnes qui in monumentis sunt audient vocem ejus*, an inquam vox illa, futura est per sonum sensibilem? *Respondetur Affirmativè. Ratio est.* Tum quia ita docent SS. Patres. S. Chrysostomus Homil; 38. in Joannem. dicit: *Orbem terrarum Christi voce resurrecturum.* S. Hieronymus Epist. 61. ad Pammachium. *Audient* (inquit) *auribus, & procedent pedibus.* Ubi sat clarè supponit, vocem illam fore sensibilem. & S. Thomas apertè id docuit Lectione 5. in cap: Joan: 5tū dicens: *Vox ista erit sensibile signum Filii Dei, ad quam omnes suscitabuntur.* Tum quia verba Scripturæ, hoc modo propriè intelliguntur & sine ullo incommodo imò cum maxima congruentiâ, siquidem adveniente Christo Homine in sua Majestate sensibili & manifesto adventu ad judicandum homines sensibiles, conveniens est, ut aliquod signum sensibile præcedat, quasi præuntis præconis, & homines judicandos convocantis. Multùm item probabile est, (ut volunt plerique Theologi) Vocem illam fore articulatam ug. hanc (ut vult S. Chrysostomus Homilâ 8. in 1mam ad Tessalon: *Resurgant Mortui*, vel (ut vult Dominicus Soto: in 4. Dist: 43. Quæst: 1. Art: 4. cum nonnullis aliis Theologis) *Surgite mortui & venite ad judicium.* Et ut non naturaliter sed miraculosè & supernaturaliter, illa vox suscitabit mortuos, tanquam instrumentum Divinæ Virtutis, ita etiam nonnisi supernaturaliter, audietur ab omnibus mortuis, ubique per totum Orbem.

120. *Quæritur 5tò. Pluresne sunt futuræ Tubæ, an una tantùm, quâ omnes mortui excitentur?* *Respondetur* cum S. Chrysostomo, S Anselmo; Oecumenio, P. Lessio, Cornelio à Lapide, Theophilo Raynaudo, fore plures Tubas per Orbem: *Ratio afferri solet hæc*: Tum quia Christus dicit: *Mittet Angelos suos cum tuba* &cæt. Si verò tantùm una erit tuba, non opus erit mittere multos Angelos, quia unus solus sufficiet, qui tubam inflabit. Tum quia, si unica foret, nonnisi longo tempore sonus per Orbem deferri posset: ut patet ex sonitu, & bombo tormentorum: Jam verò simul ubiq; exaudiri debet, ut simul fiat omnium resurrectio, & immutatio Viventium. Quamvis autem S. Paulus 1. ad Thessal 4. specialiter memoret: *Dominum in jussu & in voce Archangeli & in tuba Dei descensurum de Cælo*; tamen per hoc Apostolus non excludit cæteros Tubicines Angelos, sed unum quendam ex eis denotat primarium. S. Thomas in Supplemento 3. p. Quæst: 76. Art: 3. ad 2. censet fore S. Michaelem, qui est Princeps Ecclesiæ, sicut fuit Synagogæ. *Adverte*. S. Anselmus in suo Elucidario, & sat multi Theologi sentiunt, Angelos illos Tubicines in assumptis Corporibus àereis, usuros etiam instrumentis corporeis in modum tubarum, ex eodem àere confectis.

Plures Tubæ futuræ in die Resurrectionis.

Quales nam Tubæ?

121. *Quæritur 6tò. Quidnam præterea, Angeli præstabunt circa resurrectionem mortuorum?* *Respondetur* cum Communi Theologorum Sententia ex P. Gregorio de Valentia: Colligent Angeli, ferè innumeri, undequaq; cadaverum partes, sive etiam pulveres, seu Cineres & compingent, & præparabunt, ut in materiam illorum introducantur à solo ipso Deo, ultimæ Dispositiones requisitæ, atq; adeo unaquæquæ Anima rationalis suo proprio corpori reuniatur. Itaq; licèt Angeli non efficient quidem resurrectionem, hoc est, unionem Animæ, & Corporis, & dispositionem ultimam ad illam; tamen per illud ministerium colligendorum, & compingendorum Corporum, coöperabuntur quodammodo ad Resurrectionem. Colligitur hæc doctrina eti-

Quid insuper Angeli operaturi sunt in Resurrectione?

na etiam ex illis verbis Matth: 24. *Mittet Angelos suos & congregabunt Electos ejus.* Ex quibus verbis licet quoq; colligere, ministeriô item Angelorum, homines omnes jam suscitatos, esse congregandos in locum, ubi sunt judicandi: Porro (ut notat Pater Valentia cum aliis) Angeli Primò cadaverum pulveres colligent in eum locum, ubi materiæ cadaveris cujusq; plus erit. Siquidem ibi credibile est, quemq; suscitandum: & credibiliùs adhuc, unumquemq; suscitandum in eo loco, ubi erit cadaver ejus totum, vel ferè totum. Si autem pulveres alicujus pariter per diversa loca longè distantia dispersi sint, credibile est, eos ministeriô Angelorum esse deferendos, vel ad locum fortè, in quo quis mortuus fuit: ut ubi occubuit, ibi resurgat. vel quod magìs puto, ad locum ipsum futuri Judicii, ut ibi homo resurgat. Quandoquidem eò esset alioqui post resurrectionem deferendus; & non videtur esse urgens ratio, cur debeat quis magìs in uno, quàm in alio loco resurgere, si in nullo uno loco sit, vel tota ipsius materia, vel major aliqua, seu notabilis pars ipsius. Nam Christus, Joan: 5. Solùm indicat, ibi unumquemq; resurrecturum, ubi Corpus ejus jacebit, vel quò ad totam ipsius materiam, vel quò ad notabilem ejus partem, Cùm ait: *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Ejus.*

Resurrectionis Causa instrumentalis est & Sacra Eucharistia, dignè percepta.

122. *Quæritur 7mò. Causa instrumentalis futuræ nostræ Resurrectionis & Vitæ immortalis, rectène etiam statui potest Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, dignè in hac Vita usurpatum? Respondet P. Valentia, cum multis Affirmativè.* probatq; id, Tum verbìs illìs Christi Domini: Joan: 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sangvinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Et infrà: *Qui manducat hunc Panem, vivet in æternum:* Tum Authoritate SS. Patrum. Sanctus enim Irenæus Lib 5. contra Hæreses cap: 2. ait. *Quemadmodum lignum vitis, depositum in terra, suo fructificat tempore: & granum tritici decidens in terram, & dissolutum, multiplex surgit per Spiritum Dei, qui continet omnia, quæ deinde per sapientiam, in usum hominibus*

veniunt,

veniunt, & percipientia Verbum Dei, Eucharistia fiunt, quod est Corpus & Sangvis Christi: Sic & nostra Corpora, ex ea nutrita, & reposita in terram, & resoluta in Ea resurgent in suo tempore, Verbô Dei Resurrectionem eis donante in gloriam Dei Patris. Similia habet S. Gregorius Nyssenus in Orat: Catechetica cap: 37. & S. Cyrillus Episcopus Alexandrinus Lib: 10mo in Evangelium S. Joannis cap: 13. Responsionem Doctissimi P. de Valentia Ejusq; Probationes non improbo.

123. *Quæritur 8vò. An omnium hominum Corpora antequam resurgent, incineranda sunt, seu resolvenda in pulveres, & Cineres?* seu ut quærit S. Thomas in supplemẽto 3tiæ p: Quæst: 78: Art: 2. *Utrum omnium hominum resurrectio erit à cineribus? Respondent imo* sat multi Theologi cum Angelico Doctore locô suprà citatô, *Affirmativè.* Et pro hac Responsione afferri solent duæ potissimùm Rationes. *Prima est.* Quia Genesis cap: 3. post peccatum, dictum est. *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Quod universaliter intelligitur ad omnes homines post peccatum. *2da.* Quia ad Philip: 3. Scribit S. Paulus. *Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit Corpus humilitatis nostræ, configuratum Corpori claritatis suæ.* Ex quo infert Divus Thomas: Fore, ut priùs deformetur corpus per incinerationem. *Respondent 2dò* Plurimi Theologi cum P. Suarez & P. de Valentia, *Negativè*: Hæcq; Responsio negativa & mihi videtur esse probabilior: *Ratio est.* Tum quia Ezechielis cap: 37. significatur, ossa arida, & mortua debere iterum corporibus jungi, & vivificari. Et Joan: cap: 5. dicit Christus. *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Ejus, & procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ; Qui verò mala egerunt, in Resurrectionem Judicii* In monumentis autem solent jacere ossa mortuorum: videtur ergo voluisse Christus significare, inde fore corpora revocanda, ubi inventa fuerint, & prout inventa fuerint, absq; ulla alia transmutatione. Tum quia juxta S. Augustinum in Enchiridio cap: 58. quem sequitur S. Anselmus in 1. ad Thessal: c: 4. Item

Omniũne Corpora, ante Resurrectionem in Cineres resolvenda?

Oecumenius & alij multi Commentatores, docent, Homines qui vixerint usq; ad diem Judicii, brevissimâ interjecta morâ, esse morituros, & resurrecturos. Proinde sentiunt, eorum Corpora non esse omnino incineranda; talisq; resolutio non potest naturaliter fieri, tam brevi tempore in omnibus cadaveribus, & ossibus, quæ illo die, integra invenientur & erunt pænè infinita. Per illud quod in contra adductum est cap: 3. Genesis. *Pulvis es & in pulverem reverteris*: seu, ut septuaginta legunt. *Terra es, & in terram ibis*: nil aliud intelligitur, quàm mori. Sicut ibidem dicitur: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reverteris in terram, de qua sumptus es*: id est, donec moriaris: Non enim vescitur homo pane, usq; ad resolutionem corporis in cineres, vel in elementa, sed usq; ad mortem; Et ita exponunt illum locum Sancti Patres Chrysost: hom: 17. in Genesim: Cyprianus de Bono Patientiæ; & S. August: Lib. 13. de Trinitate cap. 12. ait. *Eô, quod dictum est: In terram ibis: mors corporis pronuntiata est*. Similia habet Lib: 20. de Civit: Dei. cap: 20. Ad illud, quod ex S. Paulo. ad Philip. cap: 3. adductum est, facilis est responsio: Ut enim intelligatur reformandum esse Corpus nostrum, non est necesse, præcedere deformationem Ejus per incinerationem; sed satis est, si præcedat ejus deformatio per mortem. Imò licèt etiam priùs non moreretur homo, tamen hoc ipso abundè reformabitur, quòd acquiret tunc Claritatem, & alia præclarissima dona, quibus *configurabitur Corpori claritatis Christi*: ut ait S. Paulus ad Philip: 3.

Quomodo intelligẽda verba illa Pulvis es, & in pulverem reverteris?

124. *Quæritur 9nò. Quonam tempore futura Resurrectio? Respondetur* Futuram esse ipso die Judicii extremi, qui erit Mundi ultimus: Id enim sat apertè constat ex scriptura sacra. S. Job cap. 19. dicit. *Scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra Surrecturus sum*. Certum verò est, id dictum esse ratione universalis Resurrectionis. Et Christus D. Joan: cap: 6. ait. *Hæc est voluntas ejus, qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. Ego resuscitabo*

Resurrectio futura est, ipso die Judicii.

tabo eum in novissimo die. Et fortassè hinc didicit Martha, quod Joan: 11. dixit: *Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die.* Item: S. Paulus 1ma ad Thessal: 4. conjungit Resurrectionem futuram cum descensu Domini de Cælo in jussu & in voce Archangeli: dicens: *Ipse Dominus in jussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de Cælo, & mortui, qui in Christo sunt resurgent.* Et hinc (præter alia plurima) sufficienter habetur, fuisse erroneam Sententiam Scriptorum quorundam veterum Christianorum, asserentium, Resurrectionem Justorum, futuram mille Annis ante diem judicii, Tuncq; venturum esse Christum Dominum, & cum illis Justis resurrecturis, conversaturum mille Annis in summis deliciis.

125. *Quæritur 10mò. Quare nam modò primùm in fine Mundi Resurrectio futura est? Respondetur.* Dilationis hujus, Rationes congruæ solent afferri hæ à Classicis Theologis, & S Thoma. *1.* Quia congruentissimum fuit, ut in fine Mundi fieret Universale ac manifestativum judicium omnium hominum: vide Fundamenta hujus ipsius in Disputatione 1. Quæst: 1. sub Responsione secundâ, filiô 19. numerô 3. Ergo etiam congruum fuit, ut aliquod præmium, saltem quò ad complementum in Corpore, & Anima, in tempus illud reservaretur. *2dà.* Quia durante Cæli motu, Solis, & Lunæ, durat generatio, & Corruptio, ac temporis Successio: Et ideo non decuit, ut generaliter Corpora hominum, quæ ex materia generabilium rerum formata sunt, ad immortalem, & æternam vitam transferrentur, nisi postquam cessabit motus solis, & Lunæ. Is autem non cessabit nisi in fine Mundi. Doctor Seraphicus S. Bonaventura, in 4. Dist. 43. Quæst: 3. Insuper dat alias, Rationes 5. sunt autem hæ. *Prima est*; Severitas Divini Judicij, quô pænam mortis inflixit Corpori peccantis, cùm inquit *Pulvis es & in pulverem reverteris.* Sicut pænam Privationis Visionis Dei, usq; ad adventum Messiæ, Animis comminatus est. Hujus autem Judicii Ratio existit Quia omnes simul in uno Adam peccante peccavimus. *Secunda Ra-*

Resurrectio, cur ad finem Mundi usq; dilata?

da Ratio à merito Fidei ſumitur: Multùm enim nos in credenda Corporum Reſurrectione promeremur, qui belluis haud abſimiles in moriendo videmur: Nam ſi illud experimentum Reſurrectionis ad vitam immortalem videret homo, meritum non haberet ſanè. Quia humana ratio ſibi præberet experimentum. *Tertia.* à Bonitate Corporis myſtici ſumitur. Cùm enim omnes unum Corpus ſimus in Chriſto; neceſſe erat, ut quantum ad aliquam gloriam, omnes ſimul reſurgamus. Non quìdem ad illam Animi, quia maximum eſſet damnum, & magni momenti. Ergo quantum ad Gloriam corporis. *Quarta Ratio:* In ſubſidium infirmitatis noſtræ tendit. Quoniam Sancti dum ſuis conjungi Corporibus cupiunt, vehementiùs quoq; noſtram deſiderare ſalutem compelluntur, ſcientes, quòd non ſine nobis ſint conſummandi. ut colligitur ex Epiſtola *S.* Pauli ad Hebræos cap. 11. v. 40. *5ta. Ratio eſt* Gloriæ conſummatio: nam quia adhuc Angeli viatores ſunt, quo ad miniſterium quod hominibus præſtant, attinet: eritq; quamdiu homines vivent, & gaudium ſemper ſecundùm multitudinem Electorum excreſcit, non debebat perfecta Gloria in aliquo ſingulariter conſummari; donec in omnibus ſimul conſummaretur.

Reſurrectio inſimul omnium eodē tempore eſt futura.

126. *Quæritur 11. Utrum Univerſalis Reſurrectio omnium hominum, non ſolùm futura uno eodemq; die.* (ut jam dictum & probatum eſt in Reſponſione ad Quæſitum 9num) *ſed etiam utrum illo ipſo die ſit futura eodem tempore, eàdem horâ, vel momentô? Reſpondetur.* Reſurrectio omnium hominum Electorum ac reproborum futura eſt ſimul uno eodemq; tempore breviſſimo, & quaſi imperceptibili. *Eſt Reſponſio communiſſima Theologorum.* Hujuſq; reſponſionis multiplex eſt Ratio. *Prima eſt.* Quia S. Paulus 1. ad Corint. 15. dicit: *Omnes reſurgemus in momento in ictu oculi, in noviſſima tuba. Canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti.* Item Salvator ipſe Joan: cap: 5. dicit. *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii DEI, & procedent in reſurrectionem* &c: Quorum verborum ſenſus eſt (ut inſinuat ibi S. Cyrillus, S. Chryſoſtomus, Ru-

pertus, & alij cum P. Suarez) Nolite mirari, quòd vobis dixerim, me habere virtutem ad excitandos mortuos, nam veniet hora, in qua, unô verbô excitabo omnes homines tam bonos, quàm malos, Ergo ad unum Christi imperium omnes simul resurgent. Unde & Doctissimus Euthimius (qui floruit Annô 1118.) explicans illum textum adductum ex cap: 5. Joannis, dicit. *Simul omnes repente ac virtute arcana, Christus coäptabit, animabit, ac excitabit voce sua.* *Ratio 2da est.* Quia hæc Sententia est conformior Sanctis Patribus, scilicet, Cyrillo, Chrysostomo ut diximus suprà. Item S. Augustino Lib: 20. de Civit: Dei. cap. 20. S. Hyppolito Martyri, in Oratione de consummatione Mundi, non longè à fine. S. Methodio Episcopo Tyri, & Martyri in Lib: de Resurrectione, S. Thomæ. Gennadius item Episcopus (qui floruit Annô 490.) in Lib: suo de Ecclesiasticis Dogmatibus, qui exstat inter Libros S. Augustini cap. 6. ait. *Erit Resurrectio mortuorum omnium hominum & una insimul & semel; Non prima Justorum, & secunda peccatorum.* *Ratio 3tia.* Quia neq; ex parte Divinæ Potentiæ requiritur hæc successio, quâ adstruitur, priùs suscitandos esse omnes Justos, deinde omnes reprobos; Neque requiritur ex parte ipsius actionis: ut per se constat. Neq; etiam ex parte hominum suscitandorum. Nullum enim hujus successionis grave est fundamentum. Quod enim illud? *Neque dicas imò.* S. Paulus 1. ad Thessal: 4. dicit. *Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi.* *Respondetur enim.* Quòd S. Paulus hìc non comparat resurrectionem Justorum, ad Resurrectionem damnatorum, de quibus nullam ibi mentionem fecit, sed comparat resurrectionem Justorum, ad eorum raptum *obviam Christo in äera.* Vel etiam intelligitur (ut vult S. Anselmus) Quòd ante hos, nullus resurget. *Neque dicas 2dò.* Justi exituri sunt obviam Christo in äera. Ergo oportet, ut priùs resurgant, quàm reprobi, qui in terra exspectaturi sunt *Respondetur enim.* Nihil esse incommodi, quòd iniqui exspectent illo tempore in terra adventum Judicis; præsertim cùm illud tempus totum, satis breve

futurum

futurum sit. *Adverte.* Iniqui homines non sunt resurrecturi, ut iniqui; sed ut homines, & ut effectus Divinæ Omnipotentiæ; ideoq; non expedit, ut tardiùs obediant Voci DEI, quàm Justi: Unde ex hoc etiam capite expedit, ut simul resurgant.

Resurrectionis tempus est ignotum.

127. *Quæritur 12mò. Tempus Resurrectionis nostræ estne simpliciter occultum? Respondetur Affirmativè*, cum SS. Patribus, & Theologis. *Ratio est* Quia ut ait Doctor Angelicus in supple-
" mento 3. p. Quæst: 77. Art: 2. [Jllud quod est ignoratum ab An-
" gelis, multò magis hominibus est ocultum: quia ea, ad quæ ho-
" mines naturali ratione pertingere possunt, multò limpidiùs, &
" certiùs, Angeli, naturali cognitione cognoscunt. Similiter eti-
" am Revelationes, hominibus non fiunt, nisi mediantibus Ange-
" lis: ut patet per S. Dionysium Areopagitam in lib: de Cælesti Hie-
" rarchia cap: 4. Sed Angeli nesciunt tempus determinatè. ut pa-
" tet Math. cap. 24. *De die illa & hora, nemo scit neq; Angeli cæ-*
" *lorum.* Ergo tempus illud est ocultum. Præterea: Apostoli fu-
" erunt magis conscii secretorum Dei, quàm sequentes alii: quia
" ut dicitur ad Romanos cap: 8. *Ipsi primitias Spiritûs habuerũt.* Glos-
" sa interlinearis ibidem dicit. *Tempore priùs, & cæteris abundan-*
" *tiùs.* Sed eis hoc ipso quærentibus, dictum est Actorum 1mo. *Non*
" *est vestrum, nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua*
" *potestate.* Ergo multò magis est aliis occultum.] Ad meliorem notitiam Responsionis. Vide dicta suprà in Disputatione 1ma, sub tota Quæstione 2da. à folio 23. ad folium 30. seu à numero 10. ad numerum 21.

Resurrectio generalis fiet horâ matutinâ.

128. *Quæritur 13tiò. An Universalis Resurrectio futura: nocturno, vel diurno tempore? Respondetur* verbis Sancti Thomæ, in Supplemento, 3. p. Quæst: 77. Art. 3. [Dicendum, quod deter-
" minata hora temporis. qua fiet Resurrectio sciri pro certo non
" potest; tamen satis probabiliter à quibusdam dicitur: quòd Re-
" surrectio erit, quasi in crepusculo, sole existente in Oriente, &
" Luna iu Occidente: Quia in tali dispositione, Sol & Luna
" creduntur esse creata; ut sic eorum circulatio compleatur pæ-

nitus

nitus per reditum ad idem punctum: unde de Christo dicitur, " quòd tali hora resurrexit.] Hanc etiam Sententiam tenent, S. Bonaventura, S. Antoninus, & eandem tradit S. Anselmus in Elucidario: ubi dicit. Resurrecturos nos, quâ horâ Christus resurrexit. Quia, cùm Christus sit Exemplar nostræ Resurrectionis, verisimile est, quo ipse tempore surrexit, nos suscitandos esse. Ipse verò Christus Dominus resurrexit juxta veriorem & magìs receptam Sententiam, circa diluculum primæ Sabbathi: id est, diei Dominicæ, ut asserit S. Augustinus lib: 4. de Trinitate cap. 6. & lib. 3. de Consensu Evangelistarum cap. 24. & S. Hieronymus in Psalmum 56, circa versiculum illum. *Exurge Gloria mea, exurgam diluculo.* ex quo Psalmo, satìs ista sententia confirmatur: Sicut etiam ex authoritate Ecclesiæ (ut notat P. Valentia cum aliis) quæ in Hymno Octavæ Paschatis, memorat, Resurrectionem Christi, contigisse, cùm, *Aurora lucis rutilat.* Unde conclu dit S. Anselmus, Resurrectionem nostram futuram etiam in die Paschatis. *Confirmatur* ex P. Suarez. Quia tempus lucis est magìs commodum: Tùm ad Judicium, quod statim post Resurrectionem sequetur. Tum etiam, ut omnes homines possint naturalî modô, & sinè miraculis, se mutuò videre; atquè, ut Opus Resurrectionis illustrius fiat. Item quodammodo pertinet ad Bonorum gloriam, ut tempore lucis resurgant. Nam licèt interna eorum claritas, eis ad Beatitudinem sufficiat, sicut fulgor etiam advenientis Christi satìs esse posset, ut resurrectionis gloria ab omnibus conspiceretur: ut dixit S. Ambrosius lib. 8vô in Lucam: tamen etiam opportet, ut extrinseca temporis, & loci circumstantia, sit eorum gloriæ proportionata: quæ tamen simul cedet in majorem reproborum pænam. Erit enim illis, tantò major ignominia, & pudor, quantò eorum magìs misera conditio, & corporum deformitas major.

Nequè dicas. Utiquè Matthæi 25. dicitur: *Media nocte clamor factus est, Ecce Sponsus venit, exite obviam ei.* Ergo potiùs nocturno tempore futura Resurrectio. Respondet enim Magi- *Objectio in contra solvitur.*

P ster

ſter Sententiarum, Petrus Lombardus, Epiſcopus Pariſienſis; lib. 4. Diſtinctione 43. ex Sancto Auguſtino: *Media nocte dicitur venturus, non pro hora temporis; ſed quia tunc veniet, cùm non ſperatur. Media ergo nocte, id eſt cùm valde obſcurum erit, id eſt, occultum, veniet. Dies enim Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet.* Similiter reſpondent plurimi alii Theologi claſſici.

QUÆSTIO III.

Reſpondetur ad Quæſita quædam, concernentia qualitatem futuræ Reſurrectionis ex parte termini, ſeu ex parte reſurgentium.

Idem numero homo reſurget, qui obiit.

129 QUæritur imò. *An idem ipſe homo reſurget, qui mortuus eſt? Reſpondetur Affirmativè.* Idquè certum eſt ex Fide. Teſtimonia enim Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum, quibus probata eſt ſuprà in Quæſtione ima., Reſurrectio mortuorum, probant etiam hanc Reſponſionem affirmativam. Præſertim verò ad id confirmandum, clariſſima ſunt verba Sancti Job cap. 19. *In noviſſimo die de terra reſurrecturus ſum:* (nempe ego ipſemet) *& rurſum circumdabor pelle mea* (mea inquam) *& in carne mea videbo DEUM.* Et adhuc clariùs: *Quem viſurus*, (inquit) *ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius. Accedit.* Quia ex Sententia S. Auguſtini lib. 8vô. de Trinitate cap. 5. & S Damaſceni, lib. 4. de Fide cap. 28. imò juxta ipſam quoquè notionem vocabuli, propriè ſumptam: *Reſurgere, eſt reviviſcere, & denuò conſiſtere illud ipſum, quod cecidit, & occubuit.* Hinc habetur, errâſſe Origenem, & Joannem Jeroſolymitanum, nec non Eutychium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, qui aſſerebant, homines reſurrecturos in corporibus, non conſtantibus ex carne & membris, ſed in àëreis, vel àëre ſubtilioribus. Et certè error hic prædictus apertè negat veram Fidem Reſurrectionis. Si enim homo non reſurrecturus eſt in Cor-

Corpore constante membris & Carne, quale habuit dum viveret, non resurgeret *idem homo*, ac proinde non verè resurgeret: Unde Sanctus Hieronymus in Epist. 61. ad Pammachium dicit: *Fidem Ecclesiæ apertissimè confitebor, Resurrectionis veritas Catholica, sine carne & ossibus, sine sanguine, & membris, intelligi non potest.* Insuper (ut bene arguit S. Gregorius Magnus lib. 14. Moralium cap. 31.) Christus Dominus in Corpore surrexit, prædito carne, & ossibus, sicut ipsemet ad Discipulos ait. Lucæ 24. *Palpate, & videte, quia Spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Resurrectio autem Domini, fuit Exemplar nostræ futuræ Resurrectionis.

Ad meliorem notitiam hujus Responsionis.

130. *Nota imò* Diligenter ex P. Valentia, & aliis. Non aliter oportet intelligi, & defendi, quòd *idem homo numero*, qui antea vixit, resurrecturus, & revicturus post mortem sit, quàm constat jam, unumquemquè hominem, dum hanc vitam degit, in alia licèt & in alia sui ætate, & aliis quantumlibet, atquè aliis accidentibus affectum, esse *eundem numero.* Est autem quòad hæc, & alia, in uno & eodem homine, dum vivit, magna varietas, ut est evidens. Nam unus & idem homo, aliter se habet cùm est infans, aliter cùm est puer, juvenis, vir, & senex: aliter cùm ægrotat; aliter, cùm firmior, & vegetior est: aliter, cùm ex suis omnibus partibus, & membris integrè constat: aliter, cùm aliquo membro, aut parte orbatus est &c. Ac præterea etiam non semper retinet easdem partes *primæ materiæ*, siquidem hæ, per nutritionem continuò fluunt & refluunt. ut docent præcipui Philosophi cum Aristotele, & S. Thoma. Et tamen non obstante hac omni varietate, *unus & idem homo est* quisquè per totam vitam. Hoc ipso scilicet, quia retinet eandem numero Animam, & eandem præterea determinatam rationem unius & ejusdem *Corporis humani*: connexam nimirum cum eodem temperamento nativo qualitatum, & accidentium, quò continen-

Qualiter intelligendum est, dum dicitur. Idem resurget homo, qui ante vixit.

tur *dispositiones ultimæ*, ad hanc numero Animam: atquè adeò etiam *peculiaris habitudo* materiæ ad illam, qualescunquè sint, tandem partes hujus materiæ per suprà dictum illum fluxum & refluxum materiæ: Et per hunc ipsum identitatis modum, intelligitur, & defenditur, quod ex Fide asseritur, *eosdem homines numero*, qui mortui fuerunt resurrecturos. Non enim est dubium: Quòd sicut est magna *varietas in uno, & eodem homine*, dum vivit quò ad alia, ita est futura valde diversa conditio ejusdem hominis cùm resurget: ut constabit etiam ex Responsionibus ad Quæsita sequentia.

Durandus malè negavit posse absolutè idem numero reproduci, quod interiit.

131. *Nota 2dò*, Esse non mediocriter erroneam sententiam Durandi (Floruit is Annô 1320.) qui in 4. librum Sententiarum, Dist. 44. Quæst. 3. contendit, ne per Potentiam quidem DEI absolutam posse *reproduci illud idem numero*, quod penitùs interiit: Ex hac enim Sententia sequitur, non eundem hominem resurrecturum: quod est contra Resurrectionis Fidem.

Corpora Justorum planè integra resurrectura.

132. *Quæritur 2dò An Corpora Sanctorum, planè integra, & decora, resurgent, quò ad omnes veras Corporis partes & membra, licèt in vita, aliquo, seu aliquibus membrîs, vel partibus caruissent.* Respondetur verbîs Sancti Augustini in Enchiridio cap. 87. & 91. *Resurgent Sanctorum Corpora sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate.* Ex lib. 22. de Civitate DEI. cap. 19 *Non est macris, pinguibusq; metuendum, ne ibi etiam, tales sint, quales si possent, nec hìc esse voluissent. Omnis enim corporis pulchritudo, est partium congruentia, cum quadam coloris svavitate: ubi autem non est partium congruentia, aut ideo quid offendit, quia parvum est: aut ideo, quia nimium. Proinde nulla erit deformitas, quam facit incongruentia partium, ubi & quæ prava sunt, corrigentur, & quod minùs est, quam decet, unde Creator novit, ibi supplebitur, & quod plus est, quam decet, materiæ servata integritate, detrahetur. Coloris porrò svavitas quanta erit, ubi justi fulgebunt sicut Sol in regno Patris sui. Matth. 13.* Et lib. 22. de Civitate DEI cap. 20: *Nec si aliqua Martyribus amputata, & ablata sint membra*

sine

sinè ipsis membris erunt in resurrectione, quibus dictum est: Capillus capitis vestri non peribit. Ait tamen in cap. eodẽ S. Doctor. Cicatrices vulnerum, in Martyribus, *cum decore quodam fortassè mansuras. Non enim* (inquit) *Deformitas in eis, sed dignitas erit, & quædam quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit.* Et paulò post. *Ibi Cicatrices, sed tamen, iisdem membris redditis, non perditis, apparebunt. Quamvis itaq; omnia corporis vitia tunc non erunt, non sunt tamen deputanda vel appellanda vitia, virtutis indicia.* Qualia sunt, nempe cicatrices illæ. Responsio Divi Augustini, non solùm approbatur à S. Thoma, & Theologis, multisquè Sanctis Patribus, sed etiam Scriptura Sacra idem videtur asserere, dum multis in locis indicat Corpora Justorum in altera vita, optimum, & decentissimum statum esse habitura. Ut Sapientiæ 3. *Fulgebunt Justi.* & cap. 5. *Accipient Regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini.* Isaiæ cap. 25. *Præcipitabit mortem in sempiternum, & opprobrium populi sui auferet.* Matth. cap. 13. *Tunc justi fulgebunt sicut Sol in Regno Patris eorum,* & 1. ad Corinth. cap. 15. S. Paulus. *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: Seminatur in ignobilitate, surget in gloria; Seminatur in infirmitate, surget in virtute.*

Martyrum tamen Cicatricibus permanentibus,

Ex dictis: Habetur. Sanctorum Corpora resurrectura esse planè integra, quò ad omnes veras sui corporis partes, & membra. Dixi: *Quò ad omnes veras corporis partes.* Nam quæ non veræ corporis partes sunt, sed solùm superfluitates, & excrementa, minimè redibunt in Resurrectione. Insuper resurrectura sunt Corpora Justorum absquè ulla alia deformitate, quam propter figuræ, aut sitûs perversitatem, aut ob defectum aliquem, sive exsuperantiam, habuerunt in vita; Ejusmodi enim vitia dedecent illorum Corporum dignitatem.

133. *Quæritur 3tiò. Damnatorumne Corpora an cum vitiis & deformitatibus, quas in hac vita habuerunt, an sine illis resurgent? Respondetur:* Sanctus August: in Enchiridio cap. 92. ad Quæstionem hanc propositam certi nihil asserit, dicit enim.

Probabile est, etiã damnatorum corpora integra resurrectura.

Quicunq; ab illa perditionis massa quæ facta est per hominē primū non liberantur per unum Mediatorem DEI & hominum, resurgent quidem etiam ipsi unusquisq; cum sua carne, sed ut cum diabolo, & Angelis ejus puniantur: utrum sanè ipsi cum vitiis & deformitatibus suorum corporum resurgent, quicunq; in eis vitiosa & deformia membra gestârunt, inquirendo laborare quid opus est? Neq; enim fatigare nos debet, incerta eorum habitudo, vel pulchritudo, quorum erit certa & sempiterna damnatio. Locum hunc S. Augustini citans Magister Sententiarum lib. 4. Dist. 44. addit. *Ecce non definit (Augustinus) an tunc habeant deformitates, quas hìc habuerunt reproborum corpora.* Alibi tamen idem S. Augustinus scilicet in Epist. 146, ad Consentium, videtur sensisse etiam damnatorum corpora resurrectura esse integra. Dicit enim. *Justi immutabuntur in illam incorruptelam, cui nulla possit nocere corruptio; Qui autem in eam non commutabuntur, incorrupti quidem resurgent integritate membrorum, sed tamen corrumpendi dolore pœnarum.* Hæcque posterior Sententia Divi Augustini est verisimilior, communiterquè eam amplectuntur Scholastici Theologi cum S. Thoma in supplemento 3. p. quæst. 86. Art. 1. Nec integritas illa membrorum cedet damnatis in eorum gloriam, verùm potiùs in pænam, & ignominiam, ut nullum sit membrum, quod careat suo cruciatu. Imò videtur aliquando necessaria integritas hæc, scilicet ad sustinendam pænam in eo membro, quod fuit organum, & instrumentum peccandi. Censeo tamen non esse improbabile (ut censet etiam P. de Valentia, & alii nonnulli Theologi) corpora damnatorum, saltem ordinariè & per se loquendo, cum ejusmodi deformitatibus, quas in hac vita habuerunt, resurrectura. Videntur enim hujusmodi deformitates congruere damnatorum infelicitati, eorumquè statui miserrimo.

Corpora non secundùm omnē materiā quam habuerunt, résurgent.

134. *Quæritur 4tò. An cum capillis, & unguibus resurrecturi sunt mortui? Respondetur.* Capilli, & ungues, quia non sunt mera excrementa, & superfluitates, sed ad munimentum

& or-

& ornamentum aliarum partium pertinent, & eatenus sunt quædam corporis partes, restituentur omnino in resurrectione, in ea nempe quantitate, & forma, quæ maximè decebit Sanctos, juxta illud *Lucæ* 21. *Capillus de capite vestro non peribit.* Quod, ut ait S. August. lib. 22. cap. 19. de Civit. DEI. *Non de longitudine, sed de numero capillorum dictum, multò aptiùs potest intelligi*, deforme enim esset, restitui in resurrectione, quidquid capillorum creverit, quò ad longitudinem. Verissimum enim est, quod dicit S. Augustinus in Enchiridio, cap. 90. *Indecorum ibi aliquid non erit, sed quidquid futurum est, hoc decebit, quia nec futurum est, si non decebit.*

Resurgentne in propriis corporibus ii, qui communem habuere materiam?

135. *Quæritur 5tò. Quomodo iidem numero homines, & quidem integri, sunt resurrecturi, quorum tota, vel ferè tota materia in alterius hominis cessit nutrimentum?* Antequam Respondeam.

Præmitto 1mò. Accidere solet, ut homines, humanîs carnibus vescantur. Testatur id Historia vetus; ut inter alia, in S. Scriptura legitur, lib. 4. Regum cap. 6. v. 29. *Et nostrorum temporum* (S. inquit Augustinus lib. 22. cap. 20. de Civit. DEI.) *infelicia experimenta docuerunt*, quòd nempè homines, confecti fame, vescebantur cadaveribûs hominum. Imò certum est, quòd in Brasilia, Gentiles, nulla exigente fame, hostium suorum captorum, vescantur carnibûs, quin & parentum suorum seniô confectorum. Imò fit quandoq; ut homo submersus fiat esca piscium, piscis verò esca hominum.

Quæstio hæc perdifficilis visa est olim Gentilibus.

Præmitto 2dò. Athenagoras, Christianus Philosophus, qui floruit Annô Christi 150, in libro suo de Resurrestione mortuorum. Tertullianus lib. de Resurrectione, cap. 4. S. Justinus, Philosophus, & Martyr, coævus Athenagoræ, in Quæstionib9 Græcorum. S. Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi 18. & S. Gregorius Nyssenus, libro de Hominis Opificio, cap 26. Ob hanc præcipuè difficultatem, olim etiam propositam in Quæsito hoc 5to, testantur, Philosophos ab hoc Articulo Fidei de Resurrectione mortuorum, abhoruisse. *Hoc Præmisso. Respondetur*

Qualiter ad eam reſpondent antiqui Patres?

tur multipliciter à Patribus, & Theologis. S. Juſtinus locô citatô reſpondet: propter has nugas, non eſſe reſurrectionem in dubium revocandam, ſed ſpectandam DEI Omnipotentiam. Athenagoras reſpondet, Hominem non poſſe carnibûs humanîs nutriri, nec eas in ſe convertere, ſed vim nutritivam, tale alimentum à ſe abjicere. Verùm Sanctus Auguſtinus lib. 22. de Civit. DEI. cap 20. Negat: in tali caſu, *Totum digeſtum fuiſſe per imos meatus, nihilq; inde in comedentis carnem mutatum, atq; converſum; cùm ipſa macies, quæ fuit, & non eſt, ſatìs indicet, quæ illîs eſcîs ſuppleta ſunt detrimenta.* Idem negat Divus Thomas & communiſſimè Philoſophi. *Reſpondet 3tiò S. Auguſtinus* locô citatô. *Reddetur caro illa homini, in quo eſſe Caro humana primitus cæpit, ab illo quippe altero tanquam mutuò ſumpta deputanda eſt: quæ ſicut eſt æs alienum redhibenda eſt, unde ſumpta eſt. Sua verò, illi, quem fames exinaniverat, ab eo, qui poteſt etiam exhalata revocare, reddetur. Reſpondet 4tò.* Magnus P. Franciſcus Suarez in 3tiam partem Quæſt. 53. Art. 1. Diſput. 44. Sectione 2da, inquiens. [Dicendum videtur, ſine ſpeciali miraculo (quod fingendum non eſt ſine fundamento) non poſſe evenire, ut duo homines in toto vitæ decurſu, eandem omnino materiam habeant. Quia nullus eſt, qui ſolîs carnibûs humanîs nutriatur. Imò pauci ſunt, qui aliquãdo eîs utantur in cibum; ac deinde tot ſunt rerum transmutationes, ut naturaliter accidere non poſſit, eandem omnino materiæ partem, tam in generatione, quam in nutritione, & augmento à duobus hominibus participari. Quocirca non fingendo aliud miraculum, ſemper unicuiquè reſtituetur ſaltem illa pars materiæ, quæ illius fuit propria, & non alterius hominis. Quodſi fortaſſe in aliquibus partibus materiæ communicent, & non ſufficiant ad utrumquè corpus integrum formandum, tunc juxta ordinem Divinæ Providentiæ, & Juſtitiæ, vel dividetur illa materia, vel alteri tota dabitur pro ratione meritorum utriusquè, ita, ut quòad fieri poſſit, ſervetur juſtitia diſtributiva, & homo accipiat præmium vel pænam etiam

Qualiter reſpondet Pater Suarez?

in ea parte Corporis, quæ ad bene vel ad malè operandum, magìs illi còóperata est: alia verò pars materiæ supplebitur aliunde. In quo nil fit contra veritatem resurrectionis: Quia verè resurget totum, quod ceciderat: supplentur autem defectus, quos in hominibus esse contingit. Et idem proportionaliter dicendum est, etiamsi fingatur casus, in quo aliquis homo nullam materiam habeat, quæ non fuerit alterius hominis. Quia cùm materia humani corporis, in toto vitæ decursu multa sit, etiamsi pars materiæ unius corporis, alteri tribuatur, nunquam deerit aliqua alia pars materiæ, proprii corporis, ex qua possit hominis resurgentis corpus fabricari. Ac deniq; facilè est Deo, suâ potentiâ, & Providentiâ, ita omnia disponere, ac distribuere, ut unusquisq; vel omnino, vel majori ex parte suum proprium corpus accipiat.] Hucusq; P. Suarez.

136. *Quæritur 6tò. Corpora post Resurrectionem futurane ampliùs mortalia? Respondetur Negativè.* Certumq; est id Tum ex eo, quia S. Paulus 1. ad Corinth: cap: 15. dicit: *Mortui resurgent incorrupti.* Et. *Oportet enim corruptibile hoc, induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cùm autem mortale hoc induet immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est. Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors, victoria tua?* Tum quia Christi Resurrectio fuit Exemplar nostræ futuræ Resurrectionis, de quo scribit Apostolus ad Rom. 6. *Christus exurgens à mortuis, jam non moritur; mors illi ultrà non dominabitur.* Erravit proinde graviter Origenes, qui (teste Theophilo, Alexandrino Episcopo. in Lib: 2do sui Paschalis) censuit, corpora post resurrectionem, post multa sæcula, in nihilum redigenda esse.

Corpora post resurrectionē, non ampliùs interitura.

137. *Quæritur 7mò. In qualinam ætate resurgent mortui? Respondetur* cum communissima Sententia Theologorum in 4. Dist: 44. Unusquisq; Justorum, resurget in vigore juvenilis ætatis, quem circa trigesimum à Nativitate annum, vel habuit, vel habiturus fuisset, si eo usquè vixisset. Probatur hæc Responsio Authoritate Patrum. S. Augustinus Lib: 22. de Civit; cap. 15. id

Resurgent omnes justi in vigore juvenilis ætatis.

ipsum asserit, & confirmat ex illis verbis Apostoli ad Ephesios cap: 4. *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Qui scilicet mortuus est, & resurrexit in ejusmodi ætate juvenili. Divus Hieronymus in Epitaphio Paulæ, ait. *Juxta Ecclesiarum traditiones, & Apostolum Paulum, illud est respondendum, quòd in virum perfectum, & in mensuram ætatis plenitudinis Christi resurrecturi simus.* Idem S. Hieronymus Epist: ad Pammachium contra errores Joannis Jerosolymitani, dicit. *Miraris, si de infantibus, & senibus in viri perfecti ætatem resurrectio fiat, cùm de limo terræ, absq; ullis ætatum incrementis consummatus homo factus sit.* Idem sensit S. Anselmus in Elucidario. S. Thomas, Sedulius, & Hugo Victorinus, in Tractatu de Resurrectione cap: 15. *Confirmatur Responsio.* Tum quia Christus Dominus in ea ætate redemit genus humanum. Tum quia in illa ætate inter triginta, & quadraginta Annos, natura persistit in eo, quod justum est, quantum ad corporis tum vires, tum pulchritudinem, atq; alia decora; censeturq; in eadem prorsus ætate, fuisse Adam creatus. Proinde convenit, ut naturæ recreatio, per mortem Christi & restauratio per generalem resurrectionem, primæ ejus institutioni respondeat.

Beati in quanam Statura resurgent.

138. *Quæritur 8vò. In qualinam statura unusquisq; resurget, Justorum? Respondetur.* In ea, quam juxta proprium temperamentum, & facultatem naturalem adipisci potuerit, si nullum obstitisset impedimentum: Resurget ergo unusquisq; in ea statura & corporis mole, ad quam natura neq; errans, neq; prohibita, hominem proferret, dum ætatem ageret juvenilem. ut bene notat cum aliis Dominicus Soto. Quare, quod cuipiam deerit, Deus supplebit, aut ex illa materia, quæ à parvulo illo per digestionem elapsa fuerat, aut aliunde. Si autem superérit, tanquam superfluum, relinquetur. *Responsio probatur.* Tum Authoritate Theologorum, id communiter asserentium. Tum quia S. Augustinus Lib; 22. de Civit. Dei cap: 15. dicit *Restat ergo ut suam recipiat quisq; mensuram, quam vel habuit in juventute,*

etiamsi

etiamsi senex est mortuus, vel fuerat habiturus, si antè est defunctus. Idem in Enchiridio. cap 90. censet. Unde futurum est, ut Corporum beatorum alia, staturâ sint minora Corpore Christi, alia etiam possint esse majoris magnitudinis. Tum quia staturæ diversæ, ac diversi vultus, & facies hominum, & corporum variæ habitudines, videntur ad quandam pulchritudinem humani generis conferre: non minùs, ac voces diversæ in musica, quarum consonantissima varietate harmoniacus concentus dulciter resonat. *Adverte.* S. Augustinus in dicto Libro 22. de Civit:Dei cap; 20. dicit concludendo illud caput: *Si contenditur, in ea quemq; statura corporis resurrecturum esse, in qua defunctus est, non pugnaciter resistendum est. Tantùm absit omnis deformitas, omnis infirmitas, omnis tarditas, omnisq; corruptio, & si quid aliud, illud non decet Regnum. In quo resurrectionis, & Promissionis Filii, æquales erunt Angelis Dei, si non corpore, non ætate, certè felicitate.* Asserit ergo Divus Augustinus, non esse plurimùm contendendum cum eo, qui affirmaret, singulos resurrecturos in ea quantitate, & ætate, in qua mortui fuerint, infantili, senili, aut juvenili. Hâc tamen Assertione solùm vult S. Doctor (ut notat P. Suarez) non esse hoc ita certum, ut sit de Fide; est tamen ita verum, ut contrarium non sit probabile. *Adverte item.* Gigantes in sua statura gigantæa, quam habuerunt, modo non fuerit monstrifica, resurrecturos, Gigantes verò, qui vitiô naturæ, ad proceritatem immodicam excreverunt, reformabuntur. Sicut neq; erunt Pygmæi vel pusilli homines, in quibus natura ob aliquod vitium defecit. In qualinam verò vigore ætatis, & statura, resurrecturi sint impii, & damnati, incertum est.

Resurrecturi, qualem nam colorem, & formam habituri?

139. *Quæritur 9nò. Justi dum Resurgent, qualem nam præseferent effigiem, formam, colores? Respondetur.* Unusquisque, recipiet, quam vivens habuit effigiem, ab omni tamen deformitate depuratam, ut nullus sit gibbosus, aut claudus, aut luscus, obesus aut macer, aut aliquam habens in ore deformitatem. Nihilominus tales erunt, ut possint dignosci, qui in hoc sæculo

vixerunt. Similiter dicendum est, de coloribus, ea enim erit colorum varietas, ut pulchritudini & venustati nihil officiat. Quare (ut dicit Soto cum pluribus) æthiopes non sunt credendi nigri resuscitandi, aut Insulares subpallidi, saltem pii & justi, nam ille color, ut qui ex nimia solis exustione provenit, vitio naturæ tribuitur.

Resurgēt homines in utroq; sexu.

140. *Quæritur 1omò. In Corporibus post resurrectionem, futurane est differentia sexûs? Et quisquene resurget in eo sexu, in quo fuit conceptus? Respondetur affirmativè* Ratio est. Quâ utitur Sanctus Augustinus Lib: 22. de Civit. Dei cap: 17 *Corporibus illis vitia detrahentur, natura servabitur. Non est autem vitium, sexus fœmineus, sed natura: quæ tunc quidem & à concubitu & à partu immunis erit, erunt tamen membra fœminea, non accomodata usui veteri, sed decori novo, quô non alliciatur concupiscentia aspicientis, quæ nulla erit, sed DEI laudetur Sapientia, atq; Clementia, qui, & quod non erat, fecit, & liberavit à Corruptione, quod fecit.*

Confirmatur 1mò Responsio Quia aliqua sunt merita ratione sexûs; plurimæ enim fœminæ in sexu tenero, & fragili, atrocia tormenta à Tyrannis perpessæ sunt, multasq; molestias carnis pro Christo superârunt. Item, sicut utrumq; sexum Dominus ab initio constituit: ita par est, ut utrumq; restituat.

Confirmatur 2dò. Validissimè. Nam Matthæi cap. 22. Christus Dominus pro certo posuit, fore in altera vita utrumq; sexum, quando Saducæis interrogantibus, cujusnam uxor futura esset in resurrectione mulier illa, quæ septem viros fratris habuerat. Respondit: *Erratis, nescientes Scripturam, neq; virtutem Dei; In resurrectione enim neq; nubent, neq; nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei.* [*Et cùm locus esset* (inquit S. Augustinus locô suprà citatô id est Lib: 22. Civ: cap: 17.) *ut diceret. De quo enim me intertogatis, vir erit ipsa, non mulier: non hoc dixit, sed dixit, In resurrectione enim neq; nubent, sed sunt Angeli Dei in Cœlo. æquales utiq; Angelis immortalitate ac felicitate, non carne: sicùt nec resurrectione, quâ non indiguerunt Angeli. Quoniam nec mori potuerunt. Nu-*

ptias

ptias ergo Dominus futuras negavit esse in resurrectione, non fæminas, & ibi negavit, ubi talis quæstio vertebatur, ut eam, negato sexu muliebri, celeri facilitate dissolveret, si eum ibi prænosceret non futurum: Imò etiam futurum esse firmavit, dicendo; Non nubent; quod ad fæminas pertinet: neq; uxores ducent, quod ad viros. Erunt ergo, quæ vel nubere hìc solent: vel ducere uxores, sed ibi hoc non facient.] Non absimilia habet S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ, & in Epistola ad Pammachium, & Lib: 1. contra Jovinianum: Idem docet S Justinus, Quæstione 53. ad Orthodoxos, & Tertullianus Lib: de Resurrectione Carnis cap; 10.

Neq; dicas imò. S. Paulus ad Rom: 8. dicit: *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui. 2dò.* ad Ephes: cap: 4. scribit idem S. Apostolus. *Donec occurramus omnes in virum perfectum &c.* Ergo omnes resurgent in sexu virili. Ita argumentabantur quidam errantes, quos refellit S. Augustinus Lib: 22. cap: 17. de Civit: Dei. Neq; dicas inquam. *Contra enim est.* Nam S. Apostolus in primo textu adducto, intelligendus est loqui de resurrectione, non quò ad sexum, sed quò ad gratiam, & merita, & gloriam. In secundo autem textu, ait Sanctus Paulus de Animi robore, & virtute Fidei, non de sexu Corporis. Objectiones in Contra solvuntur

DISPUTATIO IV.

De Adventu Judicis, & Forma Judicii, ejusquè fine.

E*Videntissimè* (verbis loquor S. Augustini Lib: 20. de Civit: Dei Cap: 5.) *Testimonia Sacra, diem Judicii prædicant esse venturum*: in quo Christus Dominus aget Judicem; ut constat ex Quæstione 1ma Disputationis 1mæ. Adventum Judicis præcedent signa varia & Resurrectio mortuorum; de quibus actum est in Disputatione 2da, & 3tia; Nunc de Adventu ipsius Judicis, & forma Judicii agendum. Priùs autem agetur de signo Filii hominis, quod parebit in Cælo.

QUÆSTIO I.

Respondetur ad Quæsita nonnulla concernentia Signum, quod apparebit ante ipsum Judicem Christum.

Signum Filii Hominis, quod nam est?

141. Q*Uæritur 1mò. Quodnam Signum illud facturum, de quo Christus ait. Matth: 24. v. 30. Tunc parebit Signum Filii hominis, in Cælo? Respondetur. Signum verum, & proprium Christi, est Crux.* ut ait cum aliis SS. Patribus Divus Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi 15. Et S. Hyppolytus Martyr in Oratione de Consummatione Mundi. *Orietur ab Oriente*

ad occi-

ad occidentem usq; signum Crucis superantis splendorem solis, denuntians adventum, & apparitionem Judicis. Et Ecclesia in officio S. Crucis canit. *Hoc Signum Crucis erit in Cælo, cùm Dominus ad judicandum venerit.* Crux enim est Signum, quia est Vexillum Christi Jncarnati, & Causa victoriæ fidelium; Jnfidelium verò, & impiorum olim fuit scandalum, sed eorundem in die judicii erit condemnatio, & tormentum. ut loquuntur SS. Patres Chrysostomus, Hilarius, & Hieronymus, &c.

142. *Quæritur 2dò. Quarenam Crux apparebit? Respondetur:* Variæ afferri solent hujus apparentiæ, Causæ, inter quas sunt & hæ: 1. ut significetur Christum per Crucem sibi hanc gloriam, & potestatem judiciariam meruisse. 2. *ut agnoscant* (inquit S. Augustinus Sermone 130. de Tempore.) *Consilium iniquitatis suæ, qui Dominum Majestatis crucifixerunt.* 3. Ut indicetur Christum pro salute omnium fuisse crucifixum, ac proinde ingratos esse, & inexcusabiles, qui tantam gratiam ejus, & charitatem neglexerunt. 4. Ut delicati Christiani confundantur, qui Crucis Studium & imitationem, suis in moribus, non expresserunt. 5. Ut ostendatur, omnes Christi crucifixi cultores jam cum ipso esse exaltandos in cælum, & omnes ejus osores, in infernum dejiciendos. Crux in die Judicii erit ob quinque Causas

143. *Quæritur 3tiò. Quænam & qualis futura sit illa Crux? Respondetur.* Quidam existimarunt illam ipsam Crucem, è qua Salvator pependit, fore in die Judicii reformandam, collectis & inter sese compactis particellis omnibus, quæ per universum Mundum dispersæ sunt: in cæloq; servandam, & coram Christo ad judicium veniente, ab Angelis deferendam. Ita sentit Doctissimus Theologus Thomas Valdensis, Anglus, Ordinis Carmelitarum Prior Provincialis. (obiit Rhotomagi in Gallia, Anno 1430.) Tomô 3tiò de Sacramentalibus, titulô 20. cap: 158. Favet huic Sententiæ S. Chrysostomus in Homil: de Cruce & Latrone. ubi sic ait: *Crucem solam non reliquit in terra, sed secum eam levavit ad cælum, & ideo cum ipsa veniet, cum ipsa secundam glorio-* Quænam illa Crux?

glorioſam ſuam præſentiam faciet. Et S. Ephrem in Lib: de vera Pœnitentia. cap. 3. *Sancta* inquit *Crux, rurſus in conſummatione ſæculi, cum ſecundus illuxerit Domini Salvatoris adventus, primò cum gloria ingenti, & Angelicorum exercituum infinita multitudine apparebit in Cælo, inimicos quidem terrens ac vexans, Fideles autem illuminans, atq; lætificans, Adventumq; cæleſtis Imperatoris annuntians.* Et Cap: 4. *Cùm viderimus Signum Filij hominis, pretioſam ſcilicet, ac vivificam Crucem in Cælo lucentem, omneſq; fines Orbis terræ, ultra ſolis claritatem illuſtrantem, ubi viderint omnes regium iſtud ac tremendum Sceptrum in Cælo revelari; jam tunc agnoſcent ſinguli continuò ipſum quoq; Regem revelandum, qui in illo, clavis affixus eſt.* Idem prædixit Sybilla lib. 6to Carminũ. dũ de Cruce ita canit.

O Lignum felix, in quo Deus ipſe pependit.
Nec te terra capit, ſed Cæli tecta videbis
Cùm renovata Dei facies ignita micabit.

Noſter etiam Cornelius à Lapide in cap: 24. Math: aſſerit, eſſe valdè probabile, ipſiſſimam Chriſti Domini Crucem, in die Judicii appariturām in Cælo. E contra tamen S. Anſelmus in Elucidario, S. Antoninus 4. p. titulô 24. cap. 11. §. &c. 5. Abulenſis, Janſenius, Epiſcopus Gandavenſis, Theophilus Raynaudus, & alii, Sentiunt, in die Judicii non comparituram veram Chriſti Crucem, ſed Signum Crucis in Cælo, vel àëre, ab Angelis formatũ. Favetq; huic Sententiæ vox *Signum*: qualecunq; verò illud ſignum Crucis futurum eſt, certè erit fulgentiſſimum. *Et tunc plangent omnes tribus terræ:* id eſt multi ex omnibus tribubus, ſcilicet omnes reprobi, & damnãdi. Cauſam planctûs exponit Divus Auguſtinus Serm: 130. de tempore, dicens. *Plãgẽt tunc omnes tribus terræ, vidẽtes accuſatorẽ ſuum: & in ipſo arguente cognoſcent peccatum ſuum Serò & fruſtra fatebuntur impiam Cæcitatem. Quid autem miraris, ſi Crucem afferens veniet, ubi & ipſa vulnera oſtendet.* Et S. Chryſoſtom: ait. *Plangent tunc ſe omnes tribus terræ, visâ enim Cruce, conſiderabunt, quòd mortuo eô, nihil profecerunt, & quoniam Crucifixerunt eum,*

Cur viſa Cruce plangent omnes reprobi?

quem

quem adorari oportebat. 144. Idem *S.* Chrysost: vel quisquis est Author Operis imperfecti in Mathæum Homilia 49. Causam planctûs assignat, quòd tunc Christus impiis dicet, & exprobrabit. [Ego propter vos homo factus sum, propter vos alligatus & " delusus, & cæsus, & crucifixus Sum. Ubi est tantarum mearum " injuriarum fructus? Ecce pretium Sangvinis mei, quem dedi " pro redemptione animarum vestrarum. ubi est servitus vestra, " quā mihi pro pretio sanguinis mei debetis? meritò plangent se, " quia tunc nequè pecuniæ, Divitibus prosunt ad eleëmosynam " faciendam, nequè parentes justi pro parentibus intercedunt: " nequè ipsi Angeli pro hominibus, sicut solebant, faciunt ver- " bum, quia non recipit natura judicii, misericordiam: sicut " nec tempus misericordiæ Judicium, dicente Propheta: *Mise-* " *ricordiam, & Judicium cantabo tibi Domine.* Misericordia in " priori adventu, Judicium in secundo.]

145. *Quæritur 4tò. Præter Signum Crucis, apparebuntne alia instrumenta Passionis Christi?* S. Thomas Doctor Angelicus Tomô 17. Opusculô 2. cap. 244. ait. *Veniente Domino ad Judicium, Signum Crucis, & alia Passionis indicia demonstrabuntur. Secundùm illud, Matth. 24. Tunc apparebit Signum Filii hominis in Cælo. ut impii videntes in quem confixerunt, doleant, & Crucientur, & ii qui redempti sunt, gaudeant, de gloria Redemptoris.* Eruditissimus etiam P. Alphonsus Salmeron dicit: *Credunt Doctores Ecclesiæ, cum Cruce, etiam columnam, flagella, spineam Coronam, clavos, spongiam, Lanceam, & reliqua Passionis instrumenta appa- ritura in die Judicii.* Hocquè esse probabile censet noster Cornelius à Lapide in Cap. 24. Matth. v. 30. cum aliis pluribus Commentatoribus, & Theologis. Sicut verò Columnam nubis (de qua legitur Exod. cap. 13.) movebat Angelus, quocunquè opus erat; ita & Crucem, quæ triumphale est vexillum Regis nostri, nec non & alia Passionis Ejus instrumenta, movebunt Angeli.

An præter Crucem apparebunt flagella, Corona &c.

QUÆSTIO II.

Cum quali Gloria & Majestate descendet Christus Dominus ad Judicium?

146. PRæmitto ex P. Suarez: Quæstionem procedere non de intrinseca gloria Christi descendentis, hæc enim non erit major, vel minor in Anima Christi, vel Ejus Sacratissimo Corpore, quàm nunc est: Siquidem, sicut Beatitudo Animæ, essentialis est immutabilis, ita etiam claritas, & aliæ dotes gloriæ, quæ Corpori Ejus communicantur, immutabiles sunt: sed solùm Quæstio procedit de exteriori gloriæ apparatu, & externis Signis Majestatis, quæ in Adventu suo exhibebit. His præmissis

147. *Respondeo. Certum est imò. Christum Dominum venturum tunc in nubibus Cæli.* Ut Matth. c. 24. legitur. *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cæli, cum virtute multa.* Et Danielis cap. 7. v. 13. *Ecce in nubibus Cæli, quasi Filius hominis veniebat.*

Cur in Nubibus descendet Christus ad Judicium?

Cur autem in nubibus venturus? dari solent rationes hæ. 1. Quia deservient hæ nubes ad majorem quendam externum splendorem, & majestatis significationem. Hinc apparationes illustriores narrat Scriptura Sacra factas esse in nubibus. 2. Ut temperent eximiam claritatem Corporis Christi, quæ alioquin oculos damnatorum excæcaret. 3. Quia nubes est Symbolum arcanæ Divinitatis, soletquè in Sacris Litteris tribui DEO nubes pro curru. Sic Psalmo 98. *Ponis nubem ascensum tuum.* Porrò, dum dicitur Christus venturus in nubibus Cæli, non est ita intelligendum, quasi aliquæ sint nubes in Cælo propriè dicto, vel quasi immediatè in exitu è Cælis per Christum penetratis, Nubes sint illum excepturæ; sed ideo dicitur Christus venturus in nubibus; quod in àëre, cui *Cæli* nomen passim in Scriptura tribuitur, *Volucres Cæli &c.* imperiô Christi, vel ministeriô Angelorum

lorum, efformabuntur nubes ex àëre crassiore, vel ex vaporibus, aut aliis terræ exhalationibus; sicut quondam in Ejus Baptismo, Transfiguratione, & Ascensione sunt efformatæ; non veniet autem Christus in nubibus, ut Eis fulciatur, tanquam aliquo vehiculo, sed ut in eis meliùs refulgeat ejus claritas, appareatquè in eis veluti Thronus quidam, in quo tanquam triumphali curru vectus descendat, habens Corpus gloriosissimum, longè splendidius suprà solis fulgorem: si enim Justi fulgebunt tanquam Sol in Regno DEI. Matth. 13. Quidni incomparabiliter magìs ipse Dominus Justorum?

148. *Certum est 2dò.* Comitatum Christi Judicis tunc advenientis, fore amplissimum, & majestuosissimum: nam ut legitur Danielis 7. Postquam throni positi sunt ad ferendum Judicium, subjungitur: *Millia millium ministrabant Ei, & decies centena millia assistebant Ei;* ubi significata est tota Angelorum multitudo; & Matth. 25. legitur: *Venient omnes Angeli cum Eo.* Ita, ut ne unus quidem Angelus in die Judicii mansurus sit in Cælo, sed omnes cum Christo descendent, ut Eum comitentur, & Ei assistant, vel ministrent in Judicio. Ita sentiunt Sancti Patres, Hyppolitus, Anselmus, & alii, nec non Interpretes Sacræ Scripturæ. Porrò. *Notandum hìc 1mò.* Angelorum multitudo, juxta Patres, & Theologos, est hominibus incomprehensibilis, & adeò excedit rerum Corporearum numerum, ut asserente S. Dionysio, Lib. Hierarchiæ cap. 13. & 14. Soli DEO sit cognitus: *Notandum 2dò.* Valdè credibile esse, (ut censent Lessius, Cornelius à Lapide & alii) Angelos tunc venturos in corporibus pulcherrimis & lucidissimis; alioqui hæc Christi Angelis stipati gloria, non posset adeò bene conspici ab impiis, & reprobis, quorum tamen causâ etiam exhibebitur, neq; externā Ejus majestatem, quam describit Christus ipse Matth. 25. versu 31, ille Angelorum exercitus augeret. Cùm igitur planè innumerabilis sit Angelorum multitudo, replebit tunc longè lateque supremas àëris regiones

Christi Judicis Majestas descendentis ad Judicium quanta?

giones undiquè per multa millia milliarium, usquè ad ipsos Cælos, immensiquè exercitus speciem præbebunt.

149. *Certùm est 3tiò.* In hoc descensu Christi de Cælo, comitabitur Eum, pretiosissima DEIpara Virgo, quæ cum Corpore, brevì post mortem suam assumpta est in Cælum. Comitabuntur pauci & illi Sancti (si qui sunt) qui unà cum Christo ad vitam æternam resurrexerunt. Vide in superiori Disputatione 3. Numero 113, & sequenti. Sub idem ferè tempus Animæ Beatorum ad resumptionem corporum in terras è Cælo demissæ, reassument ex nunc sua corpora, & sic sancti resurgentes in corporibus gloriosis *rapientur in nubibus* (ut testatur S. Paulus ad Thessal. 1. cap, 4. versu 16.) *obviam Christo in àëra.* relictis in terra deorsum reprobis. Rectissimè dicitur Matth. 24. versu 30, *Christus tunc venturus in virtute multa, & Majestate*, seu, ut est in Græco textu: *Cum magna fortitudine, & gloria.* seu ut apud S. Lucam legitur cap. 21. versu 27. *Cum potestate magna.* Certè enim (ut bene notat Cornelius à Lapide, & alii) ingens gloria, & Majestas Ejus apparebit in tanto, & tam splendido, (ut dictum est) comitatu, nec non immmenso Ejus Sacratissimi Corporis splendore, in nubium coruscantium amictu, nec non in præviis tubis, tonitribus, fulguribus, terræ motibus &c. Item ingens Ejus virtus, robur, fortitudo, potestas, apparebit in hoc, quòd ipso imperante, omnes mortui resurgent è morte in momento; quòd omnes Angeli, dæmones, & homines, ipsum ut DEUM, Dominum, & Judicem suum suspicient, & venerabuntur: quòd in omnes pro meritis feret Sententiam, eamquè efficacem, cui nullus resistere aut contradicere audeat.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An, & quænam Personæ tanquam Assessores summo Judici etiam judicabunt?

150 CErtum est ex dictis suprà in Disput. 1ma, Quæst. 1ma, Numero 5to. & sequenti: Christum Dominum, quatenus Homo est, constitutum esse Judicem vivorum, & mortuorum, collatamquè Ei ab initio Incarnationis hanc potestatem. Imò, quòd eandem Potestatem insimul meruerit, communissimè docetur Probatumquè est locô suprà citatô, Numerô 8. Certum item, quòd Solus Christus Dominus, propriâ auctoritate, & potestate proferet Sententiam in illo Judicio: Illi enim soli convenit Judicium auctoritatis. Hoc præmisso.

151. *Respondeo 1mò. Omnes Sancti aliqua ratione judicaturi sunt cum Christo.* *Sancti cum Christo judicabunt.*

Ratio est. Quia in Libro Sapientiæ Cap. 3. dicitur: *Judicabunt Justi nationes.* Et 1. ad Corinth. 6. S. Paulus ait: *An nescitis, quoniam Sancti de hoc Mundo judicabunt?* judicabunt inquam quasi interpretativè (ut dicit S. Thomas in supplemento 3. part. Quæst. 89. Art. 1.) Interpretamur enim aliquem facere, " qui facienti consentit. Unde illi qui consentiunt Judici, ejus " Sententiam approbando, judicare dicuntur. Et sic judicare, " erit omnium Electorum. Nam omnes Sancti, obviam occurrentes Christo in àëra, illiquè judicanti aliquo modo assistendo, approbabunt Illius Judicium, dicentes. *Justus es Domine, & rectum Judicium tuum.* Insuper, Justi quasi causaliter, comparatione quadam judicabunt peccatores: quia suìs factìs, & vitâ ostendent illos esse pœnâ dignos, qui similia facere poterant, & intermiserunt; Sed hic modus, quasi causaliter judicandi, est valde improprius ac metaphoricus, & non tantùm sanctis, verùm etiam impiis convenire potest aliquomodo respectu magìs

 impio-

impiorum. Unde dicit Christus Dominus Matth. 12. *Viri Ninivitæ surgent in Judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ, & ecce plusquàm Jonas, hic. Regina Austri surget in Judicio cum generatione ista, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis: Et ecce plus quàm Salomon, hic.*

152. *Respondeo 2dò. Apostoli, & Viri perfecti, qui Apostolorum exemplô, omnia reliquerunt & secuti sunt Christum, peculiari ratione tunc judicaturi sunt, scilicet tanquam Christi Assessores.*

Ex illis, qui nam specialiter?

Probatur. Quia Christus Dominus Matth. 19. Petro dicenti: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus Te, quid ergo erit nobis?* Respondit. *Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit Filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, Judicantes duodecim tribus Isràël. Et omnis, qui reliquerit Domum, vel fratres &c. Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Adverte.* Christus Dominus loquitur quidem duodecim Apostolis, sed ita, ut in eis veros eorum asseclas alloquatur; & in duodecem Tribubus includuntur omnes homines judicandi; ut docent Classici Interpretes Sacræ Scripturæ, Item Sancti Patres, ut Hieronymus Epist. 28. Gregorius Magnus Lib. 10. Moral. cap. 17. aliàs 30. & alibi. S. Anselmus Epistolâ 10. Alphonsus etiam Tostatus Episcopus Abulensis (qui Antonomasticè vocari solet hoc Solo nomine *Abulensis*, Vir Sanctitate, & Doctrinâ celeberrimus. teste Card. Bellarmino lib. de scriptoribus Ecclef. Floruit Annô 1440.) Quæst. 197. in 19. Caput Matth. ait. *Etsi ibi Christus specialiter cùm duodecem Apostolis locutus, ideoq; duodecem tantùm sedes expresserit, virtute tamen idem omnibus promisit, qui Apostolicam vitam imitantur.*

153. Responsionem nostram Mellifluus Doctor, miraculorum gloriâ, & sapientiæ splendore illustrissimus S. Bernardus, evidenter confirmat, dum in Sermone suo de S. Benedicto, hæc habet: *Justa prorsus retributio, ut qui hìc pro Christo, humanam*

gloriam celsitudinis neglexerunt, illic à Christo Judices glorificati singulariter cum eo assideant. Nemo enim putet, duodecem tantùm Apostolos, quia pro Juda prævaricante Mathias electus est, tunc esse judicaturos, sicut nec duodecem Solæ sunt tribus Isràël judicandæ; alioquin Tribus Levi, quæ tertia decima est, injudicata recedet: & Paulus, qui tertius decimus Apostolus est, judicandi sorte privabitur, cùm ipse dicat: Nescitis quia Angelos judicabimus? sciendum namq; est, omnes, qui ad exemplum Apostolorum, sua reliquerunt omnia, & secuti sunt Christum, Judices cum eo venturos; sicut etiam omne mortalium genus esse judicandum. Quia enim duodenariò sæpenumerò solet in scripturis Universitas designari, per duodecem Sedes Apostolorum, omnium universitas judicantium, & per duodecem tribus Isràël, universitas eorum, qui judicandi sunt, ostenditur. Sanctus item Gregorius Episcopus Nazianzenus (cognomento Theologus, Sancti Basilii æqualis, & studiorum comes, qui floruit Annô 370) in Oratione sua ima contra Julianum Apostatam, inter cæteras multas Monachorum laudes, hanc etiam ponit; quòd ipsorum sit sedere super thronos. Sanctus etiam Thomas Tomô 17, Opusculo 19. in Tractatu contra retrahentes à Religione, cap. 6. & 7. docet, hanc Sessionem Judiciariam promissam esse paupertati Evangelicæ. Idem facit sanctus hic Doctor in Supplemento 3tiæ partis, Quæst. 89. art. 2.

154. Porro gloriosa illa judiciaria Sessio promittitur à Christo illis, qui relictis omnibûs, Christum pauperem, pauperes facti, nec non insimul ferventi, & perfecta imitatione Eum secuti sunt: Dicit enim Christus. *Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me*; scilicet perfecta imitatione. Et ideo S. Antoninus 3. parte, tit 16. cap. 5. §. 8. nec non Magnus Suarez Tomô 2. in 3. partem, Quæst. 59. Disput. 54. Sect. 4. Cornelius à Lapide in Caput 19. Matth. aliiquè plurimi Theologi, negant hoc speciale præmium, nempe judiciariam Sessionem, conferendam esse Religiosis imperfectis, sed tantùm perfectis. Sessio verò hæc judiciaria appromissa Apostolis, eorumquè Asseclis, Viris perfectis,

fectis, paupertatem voluntariam profitentibus, non conſiſtit tantùm in modo, quaſi cauſaliter judicandi: quomodo Ninivitæ, & Regina Auſtri, dicuntur in die judicii condemnaturi Judæos, nec conſiſtit ſolùm in modo judicandi, quaſi interpretativè, approbando Sentētiam Chriſti latam in pios & impios; qualiter omnes ſancti judicabunt; ſed prætereà conſiſtit illa Seſſio in eo, quia in præeminentiori, & honoratiori loco aſſidebunt Chriſto, ut Regni cæleſtis Primores, & Principes, in ſuis thronis ſplendidiſſimis, unusquisquè juxta ſuum meritum, & Dignitatem; & Sententiam cum Chriſto, fortè ſimul, pronuntiantes, & judicatis intimantes; juxta ea, quæ tradit S. Thomas hìc quæſt. 89. articulô 1. Et in 4. Diſt. 47. art. 2.

155. *Nota.* Quidam opinabantur, judiciariam hanc Seſſionem, communicandam etiam eſſe Omnibus ſanctis in Eccleſia canonizatis, utpote jam publicô Eccleſiæ teſtimoniô judicatis. Sed hæc opinio (ut ſapienter notat P. Suarez, locô ſuprà citatô) nequè authoritate aliqua fulcitur, nequè ſufficienti ratione. Nam hæc prærogativa danda eſt propter merita, & perfectionem iis, quibus conferetur. Quòd autem aliquis fuerit ab Eccleſia Canonizatus, vel non, ſupponit quidem veram Sanctitatem, non tamen eô ipſo conſtituit hominem dignum ſpeciali poteſtate illâ judiciariâ. Unde multi ab Eccleſia non ſunt Canonizati, qui tam in ſtatu, quàm in vita fuerunt perfectiores multîs ſanctis Canonizatîs. Et è contra multi ſunt Canonizati, qui in beatitudinis gradu, ac perfectione, non adeò excellunt, ut Innocentes, & alii, qui per unum ſolum actum Martyrii, beatitudinem adepti ſunt. Licèt verò etiam aliquomodo probabile ſit, (ut item oſtendit P. Suarez locô citatô,) omnes eos, qui in hac vita magnam virtutis perfectionem comparant, & in alia ſingularem beatitudinis excellentiam obtinent, præſertim ſi ſimul hanc gratiam aſſecuti ſunt, ut vel nunquam, vel raró, mortaliter peccaverint, conſeſſuros cum Chriſto ad Judicium, etiamſi ſtatum perfectionis non fuerint profeſſi, (ad-

dit

dit tamen rectè, prædictus Pater, Primæ Magnitudinis Theologus, & judiciô multarum Academiarum, alter ævô suô Augustinus) Non videtur tamen negandum, quin Viris perfectis, & Paupertatis Professoribus, aliquid singulare, in hoc genere promittatur, propter testimonia adducta suprà ex Matth. cap: 19. & ex Sanctis Patribus, ita, ut illud singulare sit ad modum Aureolæ, & accidentalis præmii.

156. *Quæres. Utrum Angeli, futuri etiam Assessores Judices?* Respondet Divus Thomas, hìc Quæst: 89. articulo 3. *Negativè.* Ratio ejus est. [Quòd Assessores Judices debent Judici esse conformes. Judicium autem Filio Hominis attribuitur, Joan: 5. quia secundùm humanam naturam omnibus apparebit tam bonis, quàm malis; quamvis tota Trinitas judicet per Authoritatem. Et ideo etiam oportet, ut Assessores Judicis, humanam naturam habeant, in qua possint ab omnibus bonis & malis videri, & sic Angelis non competit judicare, quamvis Angeli etiam aliquo modo possint dici judicare, scilicet per sententiæ approbationem:] Hanc responsionem communiter Omnes amplectantur. ut dicit Magnus Suarez. *Quod si Obiicitur.* Utiq; Matth: 25. dicit Christus. *Cùm venerit Filius hominis in Majestate sua, & omnes Angeli cum eo.* Sed loquitur de Adventu ad Judicium. Ergo videtur, quòd etiam Angeli judicabunt. Respondet S. Thomas, Quòd sicut ex Glossa ibidem patet: Angeli cum Christo venient, non ut Judices, sed ut sint testes humanorum actuum, sub quorum custodia, homines benè, vel malè egerunt.

Angeli, etiamne Judices futuri?

QUÆSTIO IV.

Quænam Personæ in illo Judicio judicandæ?

157. RESpondeo imò. *Omnes omnino homines, qui aliquid in vita gesserunt, judicabuntur judiciô remunerationis, vel punitionis.*

Qui sunt ad Judicium vocandi?

Respon-

Responsionis hujus Veritas patet. Tum ex dictis ad initium hujus Tractatûs in Disput: 1ma. Quæst: 1mâ. ubi probatum est, Certum esse, fore judicium Uniuersale vivorum, & mortuorum. Tum ex S. Paulo 2. ad Corinth: 5. *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisq; propria corporis, prout gessit, sive bonùm, sive malum.* Et ad Roman: cap: 14. *Omnes stabimus ante Tribunal Christi; itaq; unusquisq; pro se rationem reddet DEO.*

158. *Respondeo 2dò. Parvuli omnes omnino, qui antequam quidquam liberè egerunt, mortui sunt, comparebunt in illo Judicio.* Ita Patres, & omnes ferè Theologi, contra Durandum, qui in 2dum, Disput: 33. quæst: 3. negat, parvulos, qui sine baptismo obierunt, conparituros in judicio, ne mærorem concipiant, videntes Sanctorum gloriam, ad quam ipsi quoq; creati erant, eâ tamen æternùm carebunt.

Probatur Responsio. Quia Apocal: 1. dicitur. *Ecce venit in nubibus, & videbit Eum omnis oculus.* Et Apocalyp: 20. *Vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni.* Ad Gloriam item Christi Domini spectat, ut ab omnibus, etiam illis parvulis, illo die Judicii adoretur, & ut Princeps, ac Supremus Judex agnoscatur.

159. *Accedit.* Quia, ut benè arguit Eruditissimus P. Leonardus Lessius (Doctor soliditate, & crystallinâ pelluciditate celeberrimus) Lib: 13. de Perfectionibus Divinis. Cap: 22. Numerô 143. [Parvuli, qui sinè baptismo, vel alio remedio sublativo peccati originalis obierunt, erunt logè plures tunc, quàm, modò toto Orbe simul exstant homines. Ad huuc enim numerum pertinent omnes, qui ante usum rationis, per sex millia Annorum inter infideles mortui, ut eos omittam, qui apud Indos, vel apud Christianos, in utero, vel ante baptismum perierant. Itaquè credibile est, hunc numerunm facilè ad mille milliones, & ultra, excursurum; si tanta erit multitudo, ubi abscondetur, si ibi non comparebit? quomodo impedientur, ne possint scire,

quid

quid in illo judicio agatur? Non enim erunt ratione destituti. Quare dicendum est, ipsos ibi futuros, & omnia visuros, & intellecturos, quæ gerentur. Audient enim tubam, & simul cum aliis in ætate perfecta, cum perfecto judicio, & sensibus integris resurgent. Congregabuntur in unum locum, seorsim tamen ab impiis, quia ad eorum sortem non pertinent, videbunt Majestatem Judicis, Eumq; adorabunt; videbunt Sanctorum, & impiorum congregationem, eorumq; bona, & prava opera cognoscent; audient sententiam Judicis in utroq; sibiq; gratulabuntur, quòd non sint de impiorum numero: agent Deo gratias, quòd ante usum rationis abrepti; quia longè maxima pars eorum, si ad ætatem venisset, in eandem damnationem incidisset, præsertim Infidelium filij: Itaq; non obmurmarabunt contra DEUM, sed magnopere obstrictos se illi sentient, quòd periculis tantorum malorum exempti fuerint.] Hæc P. Lessius. Multò magis comparebunt ibi infantes & parvuli, qui per baptismum, vel Martyrium, effecti sunt Sancti.

160. *Respondeo 3tiò. Parvuli omnes prædicti, judicabuntur.* Ita sentiunt multi Patres; Ex Theologis verò præter alios, P. Suarez, P. Lessius: P. Cornelius à Lapide.

Quali modò parvuli, qui cū peccato solo Originali decesserunt, judicabuntur?

Probatur multipliciter 1mò. Quia Christus omnium omnino hominum est Judex; & ut sit, spectat id ad Ejus majorem gloriam, Ergo etiam parvulorum Judex. *2dò.* Quia S. August: Lib: 5. de Libero arbitrio cap: 23. docet, Sententiam hujus Judicii respectu horum parvulorum futuram mediam, inter præmium, atq; supplicium nempe ignis, & gehennæ, quò ad pænam sensûs. Et S. Gregorius Lib: 9. Moral: cap: 12. aliàs 16. agens de Christo in generali judicio strictè judicante, dicit. Quosdam tunc culpæ originali adstrictos, etiam sine operibus puniendos. Apocalypsis etiam cap: 20. dicitur. *Vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni, & judicati sunt mortui.* Porrò, parvuli, qui antequam quidquam liberè egerunt, adepti sunt gratiam sanctificantem, hic in illa die audient cum adultis, à Christo. *Venite*

benedicti Patris mei. Qui autem in Originali peccato decesserunt, subibunt judicium damnationis quò ad æternam pænam damni, citra ullam discussionem; à Visione enim beatifica, & Cælesti Regno excludentur ut certum est: Non tamen patientur æternam pœnam Sensûs, ut docent communissimè Patres, & Theologi.

Ad meliorem intelligentiam dictorum.

161. *Nota imò.* Verba illa Christi Domini. Joan 3. versu 18. *Qui credit in Eum*, (id est in Filium Dei) *non judicatur. Qui autem non credit, jam judicatus est.* Et Joan: 5. versu 24. *Qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit.* Verba inquam hæc, intelligenda sunt juxta classicos Sacræ Scripturæ Interpretes sic. *Qui credit in Eum, non judicatur*: id est, non condemnabitur; si inquam credit Fide viva. *Qui autem non credit, jam judicatus.* id est, condemnatus *est*: Quia talis seipsum per suam infidelitatem condemnat. Item. *Habet vitam æternam*, habet inquam, jurè, meritô, spe, sed necdum re, *Habet* ergo, id est, certò habebit, si in finem perseveret, illiq; congruenter vivat usq; ad mortem. & *in judicium*, id est condemnationem, puta in gehennam, *non venit*, non vadit. S. item Augustinus Lib; de Agone Christi; cp:27. ait. *Cùm audimus, qui credit in Christum, non venit in judicium; intelligamus, quia non veniet in damnationem. Qui autem non credit, jam judicatus est, hoc dixit, quia jam damnatus est Præscientiâ Dei, qui novit quid immineat non credentibus.*

Parvuli illi qualemnam pænam sustinebunt?

162. *Nota 2dò.* Sententia asserens, in Originali solo peccato decedentes non destinari ad pænam ignis æterni, nec esse unquam destinandos, Sententia inquam hæc, est probabilissima saltem, si non certa: idq; inter alia, ex eo. *Imò.* Quia Innocentius III. in Epistola sua decretali, quæ habetur Librô 3tiô Decretalium, titulô de Baptismo, & ejus effectu. cap: *Majores*, hæc habet. *Pæna Originalis peccati est carentia Visionis Dei, actualis verò peccati pœna, gehennæ perpetuus cruciatus.* Quod etiam docet

docet Eugenius IV. in Literis Unionis Græcorum. *2dò.* Quia S. Gregorius Nazianzenus Orat: de Sancto Lavacro dicit. *Infantes, qui aliorum negligentiâ, baptismô caruerunt, nec Cælesti gloriâ, nec suppliciis à Justo Judice afficientur.* & S. Gregorius Nyssenus, Frater S. Basilii in Tract: de Infantibus dicit. *Ejusmodi parvulos in doloribus non futuros.* Sanctus etiam Ambrosius Lib: de Abraham cap: ultimô, ait. *Infantes ejusmodi, habituros pœnæ immunitatem, sed non Regni honorem.* Ita etiam sentiunt S. Thomas, Subtilis Scotus, Aureolus, (Ordinis Minorum ex Provinciali Aquitaniæ Archiepiscopus Aquensis) Abulensis, Bellarminus, Salmeron, Suarez Vasquez &c. *3tiò.* Quia non videtur consonum Divinæ Bonitati, & Clementiæ, ut infantes, qui solùm voluntate aliena sui moralis Capitis Adami peccârunt, adeo atroci pœnâ sensûs, scilicet infernali igne æternùm crucientur. Plures alias Rationes dedi in Lucubratione mea impressâ Annô 1725. cui Titulus. *De Judicio Portuculari Dissertatio* in Quæstione 10.

163. *Nota 3tiò.* Cum Patre Suarez Tomô 2. in 3. p: Quæst: 59. Disp: 57. Articulô 6. Sectione 6. In Scriptura Sacra Matth: cap: 25. Item in aliis locis, ubi describitur Judicium Universale, non narrantur omnia, quæ in ultimo Judicio fient, sed ea quæ futura sunt præcipua, quæq; ad hominum terrorem, & correctionem maximè conferre possunt: & ideo præcipuè commemoratur Sententia, & pœna, prout ad adultos pertinet, non verò excluduntur reliqui, ut parvuli, & infantes. Sicut etiam dicitur Matth: 25. versu 34. ferenda Sententia propter peccata contra misericordiam, non tamen inde sequitur, non esse etiam ferendam propter alia peccata.

QUÆSTIO V.

Quænam in illo Judicio Universali manifestabuntur?

164. R*Espondeo imò. Omnia & singula bona, & mala Omnium hominum, singulis hominibus manifestabuntur, quæ sunt unicuiq; propria.* *Opera judicandorũ tam bona, quàm*

 Responsio

mala manifestabuntur.

Responsio hæc est omnino certa. Tum ex Sacra Scriptura. Dicitur enim Ecclesiastæ cap: 12. *Cuncta quæ fient, adducet Deus in Judicium pro omni errato; sive bonum, sive malum sit.* Et S. Paulus 2. ad Corinth: 5. *Omnes nos manifestari oportet, ante Tribunal Christi, ut referat unusquisq; corporis, prout gessit sive bonum, sive malum.* Tum quia hoc spectat ad æquitatem Divini Judicii rectissimi, & prudentissimi, ut uniuscujusq; causa, legitimô testimoniô comprobetur. Quale erit in singulis testimonium propriæ Conscientiæ. Juxta illud S. Apostoli ad Rom: 2. *Thesaurizas tibi iram, in die iræ, & revelationis justi Judicii DEI, qui reddit unicuiq; secundùm opera ejus. Ostendunt Opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis Conscientiâ ipsorum, & inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium in die cùm judicabit DEUS occulta hominum.* Sanctus itidem Augustinus Lib: 20. de Ciuit: Dei, cap: 14 asserit, quòd unicuiq; sua propria facta omnia, & quidem celerrimè constabunt, inquiens. *Dum dicit Scriptura: Alius Liber apertus est:* (Apocal: 24.) *quædam vis est intelligenda Divina, ut unicuiq; Opera sua, vel bona, vel mala cuncta, in memoriam revocentur; & mentis intuitu, mira celeritate cernantur; ut accuset, vel excuset Scientia conscientiam; atq; ita simul, & singuli judicentur.*

165. *Respondeo 2dò. Omnia, & Singula Acta bona omnium hominum Electorum, & mala Acta impiorum, manifestabuntur tunc Omnibus.* Ita S. Thomas in 4. Sent: Dist: 43. Quæst: 1. Art: S. Bonaventura ibidem Art: 3. & communissimè Theologi omnes.

Responsionis hujus Veritas sufficienter innotescit. Tum ex Probationibus Responsionis tertiæ secuturæ; Tum ex eo. Quia ad rationem perfectam Universalis Judicii spectat, ut omnium causæ in publicum proferantur, ac innotescat etiam palàm æquitas Divinæ Justitiæ. Item: Quia aliàs (ut bene notat cum aliis Magnus Suarez) ferè esset Judicium supervacaneum Universale, si omnium Causæ non essent in publicum proferendæ, & Sententia, ac ratio omnibus manifestandi. Vide etiam dicta in Disp. 4. Quæst:

1. Quæst: 1. Numerô III. In folio 19. Dixi. *Communissimè omnes Theologi.* Paludanus enim in Lib: 4. Sent: Dist: 47. Quæst: 1. Orat: 2. & Durandus quæst: 2. videntur favere contrariæ Sententiæ.

Accedit ad comprobandam Veritatem Responsionis 2dæ. Auctoritas Sanctorum Patrum idem Asserentium, ut Sancti Ephrem, in Libro de extremo Judicio, cap: 1mô. & in Libro de vera Pœnitentia, cap: 4. ubi id probat ex illo loco Apocal: 20. *Libri aperti sunt.* Item S. Ambrosii in Psalmum 43. ubi adducit illud Matth: 10. *Nihil est opertum, quod non revelabitur.* Sanctus etiam Augustinus Lib: Medit: cap: 4. *Ecce* (inquit) *coram tot millibus populorum nudabuntùr omnes iniquitates meæ, tot agminibus Angelorum, patebunt universa scelera mea, non solum actuum, sed etiam cogitationum, simulquè locutionum.* Et Divus Chrysostomus Hom: 2. in Psal: 50. dicit. *Nunc si recorderis peccatorum tuorum, & pro eis depreceris, citiùs illa delebis: Si verò oblivisceris, tunc eorum recordaberis nolens, quando publicabuntur in conspectu omnium amicorum, & inimicorum, Sanctorumq; Angelorum.*

166. *Respondeo 3tiò. Peccata etiam Electorum, quæ per pœnitentiam sunt deleta, tamen omnibus tunc Manifestabuntur.* Responsio hæc non est quidem certa, & Evidens: Nam S. Thomas hic Quæst: 87. Art: 2. dicit: *Hæc est probabilior, & communior opinio, quamvis contrarium Magister in Litera* (Lib: 4. Sent: Dist: 43.) *dicat. Scilicet. quòd peccata quæ sunt per pœnitentiam deleta, in Judicio aliis nonpatefient.* Magistro Sententiarum id est Petro Lombardo, Episcopo Parisiensi adhæret: Vigverius in Justit: cap: 21. paragraphô 3tiô. Somnius, Tractatu de extremo Judicio, cap: 6 Responsio tamen nostra data 3tia, est conformior Scripturæ Sacræ, Sanctisq; Patribus. Probariq; solet sat validîs rationibûs. Quòd sit verò conformior Scripturæ Sacræ.

Electorum etiam peccata per pœnitentiam deleta.

Probatur. Quia Matth: 10. dicitur. *Nihil opertum, quòd non revelabitur: & occultum, quòd non scietur.* Et 1mâ ad Corit: 4. *Nolite*

4. *Nolite ante tempus judicare, quoadusq; veniat Dominus* nempe ad Judicium Unuverſale, ubi tunc certò poterit de omnibus judicari, de quibus nunc non poteſt. Ratio eſt. Quia tunc Dominus *illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit Conſilia cordium*, id eſt, etiam internas cogitationes & volitiones. *Illuminabit abſcondita*, non aliqua, ſed abſolutè, omnia. Gloſſa interlinearis (cujus Author fuit Anſelmus Laudunenſis Scholaſticus, floruit Anno 1077.) ſuper illud. *Illuminabit abſcondita tenebrarum* dicit. *Geſta, & cogitata bona, & mala tunc aperta erunt omnibus & nota.* Et Eccleſiaſtæ cap: ultìmô. *Cuncta quæ fient, adducet Deus in Judicium, ſive bonum, ſive malum.* En nullum malum excipitur ab Oraculo Spiritus Sancti. *Accedit Authoritas Patrum.* Ita enim ſentiunt præter Sanctum Thomam, S. Bonaventura, & S. Hieronymus, qui interpretando verba illa Danielis cap: 7. *Judicium ſedit, & Libri aperti ſunt:* ait. *Conſcientiæ, & Opera ſingulorum in utramq; partem, vel bona, vel mala, omnibus revelantur.* Idem etiam, præter innumeros Claſſicos Theologos & Interpretes Sacræ Scripturæ, ſenſit S. Anſelmus, qui confirmat veritatem hujus Sententiæ, eamq; plurimum, & ſapientiſſimè illuſtrat; ut eſt videre hìc paulò infra numerô 168.

167. *Probatur 2dò. Reſponſio data Rationibûs tribus allatis à S. Thoma*, hìc Quæſt. 87. Art. 2. *1mà.* [Quia in ultimo, & communi Judicio oportet, quòd Divina Juſtitia omnibus evidenter appareat, quæ nunc in plerisquè latet. Sententia autem condemnantis, vel præmiantis juſta eſſe non poteſt, niſi ſecundùm merita, vel demerita proferatur. Et ideo ſicut oportet Quòd Judex, & Aſſeſſor Judicis, merita cauſæ cognoſcant adhoc, quòd juſtam Sententiam proferant: ita oportet ad hoc, quòd juſta Sententia appareat, quòd omnibus Sententiam cognoſcentibus, merita innoteſcant. Unde, quia ſicut cuilibet erit nota ſua præmiatio, & ſua damnatio, ita & omnibus aliis innoteſcent: Oportet, quòd ſicut quilibet ſua merita, vel demerita reducet

ad memo-

ad memoriam, ita etiam & aliena, suæ cognitioni subjaceant.] *2da Ratio ejusdem Angelici Doctoris est.* [Quia si peccata, quæ sunt per pænitentiam deleta, in Judicio aliis non patefient, ex hoc sequeretur, quòd nec etiam Pœnitentia de peccatis illis perfectè cognoscatur; in quo multùm detraheretur Sanctorum Gloriæ, & Laudi Divinæ, quæ tam misericorditer sanctos liberavit.] *3tia:* [Quia omnium bonorum peccata æqualiter erunt abolita: sed quorundam Sanctorum peccata sciemus, sicut Magdalenæ & Petri, & David. Ergo pari ratione peccata aliorum Electorum scientur, & multò magis damnatorum.]

Cum prima, & 2da ratione à S. Thoma allatis coincidit ferè, à Patre Lessio lib. 13. de Perfect. Divinis cap. 22. allata Ratio hæc. [Omnia Electorum opera bona sunt manifestanda, ac proinde illorum Pænitentia & Confessio peccatorum, & austeritas vitæ in satisfactionem pro peccatis suscepta. Hoc enim necessarium est, ut intelligatur Judicii æquitas, Deinde manifestari debet misericordia & gratia, quam eis Deus præstitit in hac vita, per quam datum est eis à peccatis resurgere, & salutem consequi. Hoc enim maximè pertinet ad gloriam DEI, ut sciatur totum Electorum bonum potissimùm ex ipsius provenire gratia.]

Confirmat Responsionem sat validè Dominicus à Soto (celebris Theologus, ex Sacro Ordine Prædicatorum) in 4. Dist. 47. Quæst. 2. art. 3. [Judicium illud ad hoc potissimum celebrabitur, ut gratiæ & virtutes, quæ nobis Divina ope proveniunt, universis ad DEI gloriam innotescant. Inter has verò egregium locum obtinet pænitentia: Expedit ergo, ut ejus vis & efficacia sit cunctis manifesta; nequiret autem satìs cum sua laude cognosci, nisi cuncta Electorum delicta, quantumvis ingentia & fæda, quæ illa sunt virtute deleta, omnibus essent comperta, quò enim graviora erunt, eò pœnitentiæ potestas, Divino favore suffulta, majore splendore fulgebit.]

Neq; dicas. Manifestatio illa peccatorum jam per pænitentiam deletorum, tunc in judicio, & in totam æternitatem

Objectio in contra solvitur.

T tatem

tatem adferret pudorem Beatis. Ergo non est futura. *Contra enim est* Præterquam, quòd status Beatitudinis, in quo sunt Electi, excludat pudorem, Manifestatio illa propter pænitentiam actam, & finitam sanctè vitam, potiùs Electis adferet gaudium, sicut etiam ipsa recordatio suorum peccatorum, efficietquè, ut se magìs humilient, & omnia sua bona DEI Misericordiæ adscribentes, eidem gratias agant. *Illustratur à Sancto Thoma.* Mariæ Magdalenæ (vel Petro, Davidi) non est ad confusionem, quòd in Ecclesia recitentur ejus peccata; ita etiam, quòd Sanctorum peccata revelentur, non poterit eis esse in erubescentiam vel verecundiam.

Etiã ab ipsomet S. Anselmo prolixè & solidè Objectio illa solvitur.

168. *Responsionem eandem etiam* confirmat fusè, clarè, & eleganter S. Anselmus Sermone de Beatitudine. [Ibi (*inquit*) à singulis omnes, ab omnibus ibi singuli cognoscentur; nec quenquam omnino latebit, quâ Patriâ, quâ gente, quâ stirpe editus quis fuerit, vel quid in vita fecerit. Hìc fortassis, ait, aliquis, Quid est hoc? Peccata quæ feci, scient omnes? ad hoc ea confessus sum, ut delerentur, ut oblivscerentur, ut nulli ampliùs panderentur. Benè; sed cùm tu illâ gloriâ ab omni criminis sorde purgatus, vultui DEI præsens adstiteris, ingratusne ei esse poteris pro tanta Misericordia, quam tibi fecit, remissîs illis delictîs tuis? Et unde gratias ages, si nihil eorum, unde illas jure debeas, in tua memoria habeas? ut igitur in illius laudibus æternaliter jucunderis, semper, de quanta sis miseria erutus, (ut puto) coràm habebis. Cùm ergo singulorum conscientiæ, singulis pateant, fateri audeo, ea quoquè cunctis patere, pro quorum curatione, tu DEO jugiter gratiosùs existes; non ad tuam confusionem, sed ad magnam DEI glorificationem, tuamq; gratulationem. Nec enim tunc pro peccatis tuis, te major cordis angustia premet, scelerùmquè tuorum magìs pudebit, quàm aliquem magnîs olim vulneribûs saucium, jamquè omni ex parte sanatum, aboliti languoris molestia premit, vel eorum quæ in vita positus infans egerat, nunc grandævum pudet. Tunc

quippe

quippe, cùm integra sanitas, perfecta munditia, plena remissio, secura omnium offensionum impunitas tibi certò arriserit, cognitio eorū, quomodo magìs horrori tibi erit, quàm est modò Beatissimo Apostolorum Principi Petro, quia Christum negavit, abjuratio sua; Beato Paulo, quâ persecutus est, immanitas sua: Beatæ Mariæ Magdalenæ peccata sua, & multis aliis, multa quæ sciuntur jam donata, crimina sua? Verùm super hoc agnitis delictis, velut enormi ac fæda infirmitate tua, pietas, virtus, ac sapientia Medici, qui te sanavit, sublimiùs à cunctis admirabitur, laudabitur, magnificabitur. Laus autem & magnificentia, DEO Gloriæ, tua, si bene advertis, gloria est. Sed dices; Equidem consentio, laudem DEI, gloriam meam esse; verùm, cùm hinc inde, tot,& tot ad comparationem mei innocentes prodeant, qui consideratis vitæ meæ obscænitatibûs me omnino, sicut æquum erit, horori habendum judicent, quid dicam? Justitia nempe suum, & suum injustitia præmium exigit. In his, frater nolo timeas; aliter erit, quàm existimas. Illum siquidem, quem tu tibi comparatum, judicas penitùs innocentem, non ibi reperies de te, quemadmodum æstimas, sentientem. Namq; videns te illè, de quo agis, planè intelligit te, nequaquam se, sed DEum, quando peccasti, offendisse; Cùm ergo viderit, DEUM tibi sua debita funditus dimisisse, nec in cor sibi ascendet, ut te deinde aliquatenus judicet. In hoc enim ipso Deum se offendere cognosceret, si te DEO per omnia reconciliatum, pro iis quæ olim feceras, ullatenus contemnendum cogitaret. Magìs autem gratiosus admirabitur ineffabilem DEI clementiam non solùm in te, sed & in se. In te, quia de tam profundo iniquitatis, eripuit te; In se, quia sola gratia Ejus, ne in idem profundum rueret, tenuit. Te laudando igitur, magnificabit in te, post gratiam DEI, vim atque constantiam, quibus enitens, voraginem tanti mali viriliter evasisti, quam juxta quod ipse considerabit, si derelictus à DEO, simili modô incurrisset, non ita forsitan evasisset. Vides igitur quàm nihil improperii vulgata cognitio peccati tui,

imò quàm multùm Laudis, & gratiarum cognita Remiſſio ſui generabit.] Hucuſq; S. Anſelmus.

Manifeſtabitur & Judiciorum Divinorum rectitudo.

169. *Reſpondeo 4tò. In illo Judicio, præter merita & demerita ſingulorum, manifeſtabitur omnibus Rectitudo antea incertorum & occultorum Judiciorum DEI.* Ita SS. Patres, & Theologi claſſici. Ex Sanctis Patribus vel unus audiatur Auguſtinus, lib. 20. de Civit. DEI. cap. 2. [Nunc, quando non ſolùm in malo ſunt boni, & in bono mali, quod videtur injuſtum: verùm etiam plerumq; & malis mala eveniunt, & bonis bona proveniunt, magìs inſcrutabilia fiunt judicia DEI, & inveſtigabiles viæ illius. Quāvis ergo neſciamus quô judiciô, DEUS iſta vel faciat, vel fieri ſinat, apud quem ſumma virtus eſt, & ſumma Sapientia, ſummaq; Juſtitia, nulla infirmitas, nulla temeritas, nulla iniquitas; ſalubriter tamen diſcimus, non magni pendere ſeu mala, quæ videmus, eſſe bonis maliſq; communia; & illa bona quærere, quæ bonorum; atq; illa mala maximè fugere, quæ propria ſunt malorum. Cùm verò ad illud DEI judicium venerimus, cujus tempus jam propriè *dies Judicii*; & aliquando, *Dies Domini* nuncupatur, non ſolùm quæcunq; tunc judicabuntur, verùm etiam quæcunq; ab initio judicata, & quæcunq; ad illud uſq; tempus adhuc judicanda ſunt, apparebunt eſſe juſtiſſima. Ubi hoc quoq; manifeſtabitur, quàm juſtô judiciô DEI fiat, ut nunc tam multa ac pænè omnia juſta judicia DEI, ſenſus menteſq; mortalium lateant, cùm tamen in hac re piorum fidem non lateant, juſtum eſſe quod latet.] Beatis verò multô plura, clariùſq; hac in parte manifeſtabuntur, ut docet idem S. Auguſtinus, Tomo 9. libro de triplici habitaculo, cap. 4. [Dabitur (*inquit*) juſtis omnibus aſſidua Lectio Libri Vitæ, id eſt æternæ Veritatis, & ſummæ Sapientiæ, & Verbi DEI, quæ eſt Chriſti JESU viſio; ubi quidquid nos nunc latet, manifeſtum erit. Ubi ratio manifeſta eſt, cur hic Electus eſt, & iſte reprobatus; cur hic in Regnum aſſumptus, & ille in ſervitutem redactus; Cur alius in utero moritur, alius in infantia, alius in juvētute, alius in ſenectute. Cur alius pauper, & alius dives. Cur filius adul-

teræ

teræ, baptizatur, & aliquando legitimæ conjugis filius, ante baptismum moritur. Cur qui bene incipit vivere, aliquando malè finit, & qui malè incipit, sæpe bene finit. Hæc omnia & hujusmodi multa in Libro Vitæ, plana & aperta omnibus erunt.] Hucusquè S. Augustinus in Libro de triplici Habitaculo, qui liber communiter censetur esse Divi Augustini: Quanquam S. Bonaventura, sentit illius Libri Auctorem fuisse S. Fulgentium Episcopum Ruspensem, Virum sanctissimum, & doctissimum, qui floruit Annô Christi 500.

QUÆSTIO VI.

Disceptatio in illo Judicio, & sententiæ prolatio, fietne vocaliter? An nonnisi mentaliter repræsentanda?

Qualiter fiet disceptatio & Sentētiæ prolatio?

170. PRæmitto. Divus Thomas, hìc Quæst. 88. art. 2. quærit. *Utrum Judicium fiet per locutionem vocalem?* ad quod quæsitum respondet. [Dicendum, quòd quid circa hanc quæstionem sit verùm, certò definiri non potest. Tamen probabiliùs æstimatur, quòd totum illud Judicium, & quò ad discussionem, & quò ad accusationem malorum, & commendationem bonorum, & quò ad sententiam de utrisquè mentaliter perficietur.] Hôc præmissò.

Respondeo imò. Disceptatio, Disquisitio, Discussio, & Enumeratio Actorum (nomine actorum intellige hìc, cogitationes, volitiones, verba, & opera externa) *quæ ad convincendum impios & ad præmiandum Justos, antecedet & sententiam, fiet spiritualiter & mentaliter.* Ita communissimè omnes classici Theologi.

Probatur. Quia (ut benè S. Thomas & alii Theologi arguunt) si Singulorum hominum, quicunq; ab initio Mundi, ad ejus finem erunt, cogitationes, verba, & opera, & volitiones,

narrarentur vocaliter, inæstimabilis magnitudo temporis ad hoc exigeretur. Sicut etiam S. Auguſt. lib. 20. de Civit. DEI, c. 14. dicit *Quod ſi liber* (ex cujus Scriptura omnes judicabuntur, ut dicitur Apocalypsis 20.) *carnaliter cogitetur. Quis ejus magnitudinem aut longitudinem valeat æſtimare? aut quanto tempore legi poterit, in quo ſcriptæ ſunt vitæ univerſorum?* Non autem brevius tempus requiritur, oretenus proferre ſingulorum facta, cogitationes, volitiones, verba, quàm ad legendum, ſi eſſent in libro materiali ſcripta. Unde idem S. Doctor Lib: 20. de Civit: cap. 26. ait. Quòd Conſcientiæ reproborum convincentur ſine ulla ſermonis prolixitate. Et in Lib: Sapientiæ. cap 4. legitur: *Diſrumpet illos inflatos ſine voce.* *Accedit.* Siquidem Deus novit omnia, & ſua virtute ſit cunctis revelaturus, non eſt neceſſaria vocalis prolixitas. vide etiam dicta ſuprà in Quæſtione 5ta.

171. *Reſpondeo 2dò. Sententia generalis definitiva proferenda à Chriſto Judice, in Electos, qui erunt ad dexteram, audientibus reprobis, eſt hæc. Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à Conſtitutione Mundi.* In impios autem à ſiniſtris poſitos, ferenda hæc. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus.* Reſponſionis Veritas patet ex Matth. cap. 25.

Sententiæ generales definitivæ, erunt ſenſibiles.

Reſpondeo 3tiò. Multùm probabile eſt, prædictas Sententias pronuntiandas eſſe ipſius Chriſti Domini voce, & audiendas, & non tantùm mentaliter ab unoquoq; cognoſcendas. Ita paſſim Doctores tradunt: ut teſtatur P. Leſſius Libro 13. de Perfect. Divinis, cap. 22.

Probatur. Quia absquè ullo inconvenienti poſſunt ita propriè & ſecundùm Literam intelligi ipſa Domini verba, quæ ſic planè ſonant, cùm ait. *Tunc dicet Rex his, qui à dextris erunt. Venite benedicti &c. Tunc dicet & his qui à ſiniſtris erunt. Diſcedite à me, &c.* Univerſaliter autem: Verba Scripturæ Sacræ debent accipi in ſenſu proprio & Literali, ſi nihil obeſt. *Accedit.* Quia hanc Reſponſionem confirmant ſancti Patres, ut S. Ephrem in Libro

Libro de extremo Judicio: *Beatus* (inquit) *homo qui in hora illa audierit vocem illam: Venite benedicti Patris mei, &c.* Sanctus item Gregorius Lib. 26. Moral. cap. 24. asserit. *Dominicâ voce* esse omnes judicandos. Idem etiam sentit Sanctus Anselmus in Elucidario.

Confirmatur Responsio. Quia, ut rectè argumentatur Dominicus à Soto, Suarez, Valentia, Lessius, & alii. Judex Christus tunc apparebit visibilis, & Thronus Ejus visibilis, & judicandi erunt visibiles in corporibus suis: Sonitus item Tubæ, quâ excitabuntur, & vocabuntur ad Judicium, erit sensibilis. Proinde videtur similiter convenire, ut audibili voce per sententiam approbentur vel reprobentur. Si enim omnia mentaliter perficienda forent, non tanta appareret celebritas illius Concilii

172. *Quæres. An prædictis duabus Sententiis vocaliter proferendis, etiam voce addentur Causæ: Esurivi enim &c.* Respondet P. Lessius locô suprà citatô. [Multi sic putant, quia Dominus, Math. 25. ista addit. Sed veriùs puto hæc spirituali modô proferenda. *Primò.* Quia fortè, inter Christianos (ad quos solùm istæ Causæ pertinent) pauci sunt, qui propter defectum operum misericordiæ corporalium damnentur: cùm nemo ad illa teneatur sub peccato mortifero, nisi in extrema & gravi necessitate proximi, quæ rariùs ita occurrit, ut hunc vel illum in particulari graviter obliget. *Secundò.* Quia innumeri salvabuntur, qui ista bona opera non fecerunt, ut infantes, Religiosi, & pauperes. *Tertiò*: Quia multa sunt alia operum bonorum genera illis præstantiora, ut oratio, jejunium, opera misericordiæ spiritualia, usus Sacramentorum, Martyrium, ob quæ justi salvabuntur: Nulla autem est ratio, cur minùs laudabilia, voce proferantur, præstantioribûs, silentiô prætermissîs. *Si dicas.* Omnia proferenda; Non videtur probabile: quia res esset infinita, præsertim cùm alii aliis bonis operibus fuerint excellentes. Deniquè generalis bonorum, & malorum commemoratio, non sufficit ullo

Probabilius est Causas non proferendas voce sensibili.

ullô modô ad cognoscendam utriusquè Sententiæ æquitatem in particulari. Quare puto, sufficere, ut hæ & aliæ Causæ, ob quas hi salvantur, illi damnantur, spirituali modô proferantur, per ipsam operum omnium manifestationem, quæ præcedet Sententiam, & durabit etiam post Sententiam, ita, ut omnes clarè intelligant causas in particulari, ob quas quisquè salvetur vel damnetur, & quantum præmii vel supplicii mereatur. Sicut, enim in Tribunali humano, lectis criminibûs reorum, de quibus ipsi manifestè convicti, fertur voce, brevis Sententia, quâ omnes simul condemnantur, ita in isto Judicio Universali, postquam omnium operum manifestatio præcesserit, voce proferet Judex unam Sententiam, quæ omnes Justos comprehendat, & aliam, quæ omnes iniquos. Quantâ verò pænâ vel præmiô quisquè dignus sit, non intelligetur ex ipsa Sententia externa, sed ex operum manifestatione & interna revelatione.] Responsioni huic, à Patre Lessio, primæ magnitudinis Theologo datæ, Libens consentio, utpote sat validis rationibus infundatæ.

QUÆSTIO VII.

Respondetur ad quædam Quæsita, concernentia adhuc Judicium:

Brevissimo tempore absolvetur Judicium.

173 QUæritur imò: *Quanto Tempore durabit Judicium illud? Respondet Divus Augustinus*, id esse incertum: Licèt enim communiter appelletur *Dies Judicii*, non tamen ibi sumitur *Dies*, pro naturali die, sed pro illo tempore, quo fiet Judicium: Verba Sancti Doctoris, Lib. 20. de Civit. DEI cap. 1mo sunt hæc: [Quod in Confessione ac professione tenet omnis Ecclesia DEI, veri, Christum de Cælo esse venturum ad vivos ac mortuos judicandos, hunc divini Judicii ultimum diem dicimus, id est novissimum tempus. Nam per quot dies, hoc Judicium tendatur, incertum est, sed scripturarum more Sacrarum,

erarum, diem poni solere pro tempore, nemo qui illas Literas, quantumlibet negligenter legerit, nescit.] Receptissima tamen Doctorum est Sententia, admodùm brevi tempore perficiendum esse Judicium: Quod etiam insinuatur verbîs illîs Christi Domini. Matth. 24. versu 27. *Sicut exit fulgur ab Oriente, & paret usq; in Occidentem, sic erit Adventus Filii hominis.* Et Malachiæ 3. *Ero testis velox maledicis, adulteris.* Quæ verba ponderans Sanctus Augustinus Lib. 20, de Civit. cap. 26 ait. [Testem se dicit futurum: quia in Judicio suo non indiget testibus: Eumquè velocem, sive quia repentè venturus est, eritquè Judicium ipso inopinato ejus adventu celerrimum, quod tardissimum videbatur; sive quia ipsas convincet sine ulla prorsus sermonis prolixitate, conscientias. In cogitationibus enim (sicut scriptum est Sapientiæ 1mo.) Impii interrogatio erit. Et Apost. ad Roman 2. Cogitationibus (inquit) accusantibus vel etiam excusantibus in die, quâ judicabit DEUS occulta hominum secundùm Evangelium meum per JESUM Christum. Etiam sic ergo Dominus futurus testis intelligendus est velox, cùm sinè mora revocaturus est in memoriam, unde convincat puniatquè Conscientiam.] Nulla item necessitas est prolongationis magnæ illius Judicii, ut constat etiam ex dictis suprà in Quæst. 5ta & 6ta Non tamen peragetur illud Judicium in unico instanti, sive in momento temporis, utì peragetur Resurrectio generalis omnium. teste S. Paulo 1. ad Corinth. 15. versu 52. *Omnes resurgemus in momento, in ictu oculi.* Sed durabit aliquanto tempore; siquidem cuiquè hominum, sua & aliorum hominum facta, cogitationes, volitiones & verba, Christus Dominus per illuminationem internam manifestabit, & sententiam cuiquè suam pro meritis dictabit, quam omnes cernent esse justissimam. Deinde voce sensibili proferet sententiam definitivam in pios, & impios. ut probatum suprà Quæst. 6. Hæc tamen omnia fient in tempore brevissimo, ut constat ex dictis. *Nota.* Machometes impurissimus asseruit, Diem Judicii extendendam per 500. anno-

rum millia. Sed hoc aſſertum, adeo abſurdum eſt, ut meritò cenſeatur non egere refutatione, ſed exſibilatione.

Reprobi non videbunt Divinitatem Judicis, ſed Majeſtatem Humanitatis.

174. *Quæritur 2dò. An omnes omnino judicandi, videbunt Gloriam & Majeſtatem Judicis Chriſti Domini? Reſpondetur*, Majeſtas externa & ſenſibilis, nec non Claritas Corporis Chriſti, conſpicietur ab omnibus etiam reprobis: Verùm iſte conſpectus, erit ad majorem terrorem damnatorum, & confuſionem. Unde Iſaiæ 25. dicitur: *Videbunt, & confundentur.* Gloria autem Chriſti Domini Divinitatis, ſolùm ab Electis videbitur. Non enim decet tantum bonum, damnatis communicari: Nec ulla eſt neceſſitas hujus; ſiquidem Judicium fiet à Chriſto ut Homine in forma Humanitatis. *Si Quæras ulteriùs. An tunc reprobi videbunt Chriſtum in forma Crucifixi*, cùm dicatur Zachariæ 12. *Aſpicient ad me, quem confixerunt. Reſpondeo* cum P. Suarez & aliis. ſi intelligatur, Chriſtum appariturum in forma Crucifixi, quò ad Corporis figuram & ſitum, tunc fictitium eſt, & ſinè fundamento hoc ita intelligitur: ſi autem intelligatur; quòd videbunt in eo inſignia Crucifixionis in Sacratiſſimis Ejus pedibus ac manibus: tunc veriſſimum, juxta adductum ex Zacharia textum, quem de hoc Myſterio exponit S. Joannes cap. 19. v. 37. Nec non ſignificatur Apocalypsis 1mô. *Ecce venit cùm nubibus, & videbit Eum omnis oculus, & qui Eum pupugerunt.* Ut notant Sancti Patres, Ignatius Epiſtolâ 10. ad Smyrnenſes, Cyprianus, Sermone de Aſcenſione. Chryſoſtomus, Homil. de Cruce & Latrone. Hieronymus Epiſtolâ 1mâ ad Heliodorum. & alii. Non repugnat autem, Chriſtum talî modô Crucifixum, & videre ſimul illum in majeſtate ſua: inſignia enim paſſionis in Ejus Corpore glorioſo manent cum ſummo decore & gloria.

In Judicio fiet ſolùm mentio Miſericordiæ ob quinq; rationes.

175. *Quæritur 3tiò. Cur Chriſtus Dominus Matth. cap. 25. formam extremi Judicii deſcribens, ſolùm meminit Operum Corporalium Miſericordiæ? Eſurivi enim* &c. Cùm certum ſit, multos, propter alias virtutes & peccata graviora eſſe ſalvandos vel damnandos, ut conſtat Tum ex dictis ad finem Quæſtionis 6tæ imme-

immediatæ numerô 172. Tum quia multi vix possunt prædicta corporalia opera misericordiæ exercere, ut pauperes, infantes, pueri, & alii morbidi, semper lecto affixi: Item Religiosi; hi tamen postremi, majora præstant, ut Castitatem, Obedientiam, Paupertatem Evangelicam, Conversionem Hæreticorum & Infidelium; ob quæ majora à Christo præmia consequentur, juxta illud promissum Christi Matth. 5. *Beati Pauperes Spiritu: quoniam ipsorum est Regnum Cælorum.* Et Matth. 19. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres &c. propter Nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Ad Quæstionem hanc*, cur tantummodò Christus meminit Operum Corporalium Misericordiæ, afferri solent à gravissimus Theologis & Interpretibus Sanctæ Scripturæ Rationes variæ, inter quas sunt & hæ. 1. Quia Opera Misericordiæ fieri debent ex præcipuo præcepto, quod Christus Dominus nobis commendavit, scilicet de dilectione proximi; atquè ideo voluit Dominus, ea commemoratione, commiserationem erga proximum commendare. 2. Ut homines, præsertim plebeios, qui ad majora, & spiritualia parùm sunt comparati, in hac vita ad ea excitaret, quæ sunt utilissima ad obtinendam remissionem peccatorum, & ad conservandam augendamquè justitiam. Et insuper, quia vulgares homines, magnì illa faciunt, eò, quòd ad orationes, jejunia, & alia sublimiora, minùs sint idonei. 3. Quia illa enumerata, Matth. 25. Opera Misericordiæ, sunt quasi naturalia, & ubiquè sunt obvia, & ad Communitatem maximè pertinent: plurimi enim sunt miseri. 4. Quia ab illis operibus nemo se facilè excusare potest. 5. Ut ea, velut nobis utilissima ad impetrandam Misericordiam commendet. Sicut dicit S. Augustinus Sermone 39. & S. Chrysostomus, aliiquè. Audi Sanctum Basilium, Concione 4. de Elèémosyna. *Esurientis*, (ait) *est panis ille, quem tu apud te detines: nudi, vestis illa, quam in cella tibi servas: Discalceati, calceus ille, qui domi tuæ putredine corrumpitur: egeni, argentum, quod humi defossum habes. Itaq; tot injuriâ afficis, quot tuîs rebûs, dum licet, non juvas.*

Invocatio Sanctorum nulla tunc proderit

176. *Quæritur 4tò. In illo Judicio poteritne esse auxilio, Sanctorum Invocatio? Respondetur. Minimè:* Imò tunc sancti (quod notavit Sermone 16. Author Sermonum 76. ad Fratres in Eremo qui sermones continentur in Tomo 10. S. Augustini) insurgent in peccatores, nempe Abraham in inobedientes, Jacob in segnes, Josephus in adulteros, & sic de cæteris. Et S. Chrysostomus Homiliâ 5. de Pœnitentia, dicit. *Luge peccatum, ne pænam defleas. Responde Judici priùsquàm in Prætorium veniat. An ignoras, eos, qui Judicem mitigare volunt, non ipso in examine Causæ, sed priùsquàm judicii ingrediatur locum, benevolum sibi faciunt, vel Amico mediatore vel Præsule, aut modô aliô sibi Judicē conciliant? Igitur & Deo, non sessionis tempore, suadendum erit Judici, ante verò Judicii tempus mitigabilis est Judex: quare dicit David Psal. 94. Præoccupemus faciem ejus. Hìc Judicem exorabimus, & placabimus non pecuniâ, magìs autem (Si verum dicere oportet) clemens ipse piusq;, pecunia svadetur, non ipse manu, sed per inopes accipiens. Da inopi pecuniam, & Judicem mitigabis.* Unde meritò Doctissimus Clictovæus, ad 7. Symboli Articulum, & P. Raynaudus, tractans sectione 4. Cap. 8. de Christo Judice, reprehendunt picturas Judicii extremi, in quibus DEIpara & Baptista pinguntur ante Christum genuflexi, nec non alii Sancti, quasi pro impiis intercessuri. Nullus enim ibi futurus locus intercessionis, nullum misericordiæ refugium; adimplebitur tunc illud Proverb. 6. *Zelus & furor Viri* (id est Christi Judicis) *non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cujusquam precibus.*

Impii, tunc non accusabuntur à Dæmonibus.

177. *Quæritur 5tò. An impii in Judicio illo coram Christo accusantur à Dæmonibus? ut quidam Patres tradunt. Respondetur Negativè.* Judicium enim illud brevissimo tempore peragetur ut constat ex Responsione ad Quæsitum 1mum, numerô 173. Neq; Judicium illud indiget prævio accusatore, sed DEUS cuiq; manifestabit suos actus & defectus. Patres illi, inter quos etiam est S. Cyrillus, nec non S. Augustinus sermone contra Judæos, & Paganos cap. 4. S. Gregorius Nyssenus, Orat. 5. de beatitudinibus,

bus, locuti ſunt populariter, & ad captum vulgi, fructuoſamquè ejus commotionem.

178. *Quæritur 6tò. Eruntne primò ſimul & promiſcuè omnes Electi cum impiis: & poſtea modò primùm ſeparabuntur Electi ab impiis?* Reſpondet Sapientiſſimè Dominicus Soto in 4. Diſt. 47. Quæſt. 2. art. 5. [Congregatio omnium gentium, & ſegregatio ovium ab hædis non ſic intelligendæ ſunt, acſi priùs tempore fiat congregatio, quàm ſegregatio, ſed quemadmodum ait Chriſtus Joan. 5. Quòd reſurgent alii in reſurrectionem vitæ, atquè alii in reſurrectionem Judicii, ſic in ipſo regenerationis articulo, exurgent Electi ad dextram, & reprobi ad ſiniſtram, ut congregatio ſit ſimul ſegregatio: ſed propter faciliorem humanum modum intelligendi, dictum eſt Matth. 25. Congregabuntur & ſegregabit:] Reſponſionem hanc approbat P. Valentia & alii plurimi.

Qualinâ ratione fiet aggregatio & ſegregatio Electorum à reprobis?

179. *Quæritur 7mò: An etiam Angeli, in extremo Judicio judicabuntur? Reſpondetur.* Angeli tam boni quàm mali, à Chriſto Domino, imò & à ſanctis hominibus judicabuntur quòad illa, quæ benè vel malè geſſerunt *erga homines*: in quantum tunc inde reportabunt remunerationem, vel pænam accidentalem. Quare dicit S. Thomas hìc Quæſtione 89. Articulo 8. [Eſt quædam retributio, quæ meritis reſpondet bonis vel malis per Angelos procuratis: & hæc retributio in futuro judicio fiet, quia boni Angeli, amplius gaudium habebunt de ſalute illorum quos ad meritũ induxerunt: & mali ampliùs torquebuntur, multiplicata malorum ruinâ, qui per eos ſunt ad mala incitati.] Unde & S. Paulus 1. ad Corinth. 6. ait. *Neſcitis quia Angelos judicabimus?*

Angeli tunc referent remunerationem vel pænã accidentalem.

180. *Quæritur ultimò. Qualiternam finietur Judicium illud Univerſale? Reſpondetur.* Poſtquam Chriſtus Judex protulerit duas illas generales definitivas ſententias, in Electos quidem hanc. *Venite benedicti Patris mei* &c. in impios verò illam *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum* &c. finietur & diſſolvetur Judicium. Sententiæ enim prædictæ ſunt veluti ultima forma illius

Impios, terra hiatu ſuo abſorbebit.

illius Judicii fietq; sinè ulla mora executio decreti: statim ergo sub pedibus impiorum aperietur terra usq; ad inferos, & multitudo illa tota in ignem æternum præcipitabitur. Fiet hoc cum immenso fragore & strepitu, tum terræ dissilientis, tum hominũ cadentium & exclamantium. Porro, ut notat P. Lessius cum pluribus, Divina virtute fiet ut intra breve tempus ad infernum deveniant, alioqui facilè quatuor aut quinque horîs opus esset, ut naturali pondere (damnatorum enim corpora non habent dotem agilitatis) eò deveniant: à superficie enim terræ ad infernũ, creditur esse spatium ad minimum mille leucarum. Cùm verò ad terminum suum infelicem pervenient; item, postquàm brevì post, finita Mundi exustione (de qua infra) omnia excrementa deferentur in infernum simul cum igne, si aliquid illius supervacaneum fuerit in hoc Mundo; tunc derepentè terra, quæ sub pedibus impiorum aperta fuerat, firmissimè se claudet, & in omnem æternitatem clausa manebit, ita, ut nullus damnatorum possit unquam exire vel ad superiora emergere. Hæc omnia videbunt Beati, qui statim postea cum Christo Domino summa cum exultatione rapientur in Cœlum, ubi est compendium omnis felicitatis, eruntquè ibi in statu omnium bonorum aggregatione perfecto per totam immensam æternitatem.

181. Hæc in præsenti Disputatione quarta de Adventu Judicis & forma futuri Judicii ejusq; fine dicta sufficiant. Nam modum magìs determinatum, quô res tota transigenda sit (loquor cum P. Valentia) docebit potiùs ipsa experientia. Sapientissimè enim Divus Augustinus lib. 20. de Civitate DEI. cap. 20. de rebus novissimi illius temporis loquens ait. *Quomodo sit futurum, quod nunc pro nostræ ratiunculæ viribus, utcunq; conjicimus, tunc potiùs erit, ut nosse possimus: Resurrectionem quippe mortuorum, futuram esse in carne* (& similiter Judicium) *quando Christus venturus est vivos judicaturus & mortuos, oportet, si Christiani esse volumus, ut credamus; Sed non ideo de hac re inanis est Fides nostra, si quemadmodum futura sit* (idem dic de Judicio) *perfectè comprehendere non valemus.*

Notabilis Adversio S. Augustini.

DI-

DISPUTATIO V.

De statu Mundi, ejusq; conditione post Judicium finitum Universale.

PRæsens Disputatio continebit Quæstiones tres. 1 De Conflagratione Mundi. 2. An & qualiter Mundus renovandus? 3. Respondetur ad varia quæsita concernentia renovationem Mundi, ejusq; postea statum.

QUÆSTIO I.

De conflagratione Mundi.

182. RE*spondeo imò. Mundus certò conflagraturus est igne. Probatur;* ex Epist. 2. S. Petri cap. 3. ubi hæc leguntur. *Cœli qui nunc sunt & terra eodem verbo repositi sunt igni reservati in diem Judicii, & perditionis impiorum hominum - adveniet autem Dies Domini ut fur, in quo Cœli magno impetu transient, elementa verò calore solventur: Terra autem, & quæ in ipsa, sunt opera, exurentur - Properantes in Adventum diei Domini per quem Cœli ardentes solventur & Elementa, ignis ardore tabescent.* *Mundi conflagratio certò futura.*

Confirmatur Responsionis Veritas. Authoritate SS. PP. & Theologorum omnium classicorum, qui id tanquam omnino certum, asserunt Controversū tamen est inter alia, an conflagratio Mundi antecedet Judicis adventum, an sequetur? Communis est sententia Theologorum (inter quos etiam est P. Lessius, P. Valen-

Valentia) asserentium cum S. Thoma in 4. Distin. 47. Conflagrationem illam antecessuram esse ipsum Judicium. Ego:

183. *Respondeo 2dò.* Cum P. Suarez Tomô 2. in 3. p. q. 49 art. 6. Disp. 57. sect. 1. & nonnullis aliis gravibus Theologis. *Probabiliùs est, conflagrationem Mundi futuram modo primùm post peractum Judicium.*

Et probabilius post Judicium.

Probatur Authoritate SS. Patrum. S. Augustinus lib. 20. de Civit. DEI, cap. 30. ait. *In illo Judicio, vel circa illud Judicium, has res didicimus esse venturas. Eliam Thesbitem, fidem Judæorum, Antichristum persecuturum, Christum judicaturum, mortuorum Resurrectionem, bonorum malorumq; diremptionem, Mundi conflagrationem. Quæ omnia quidem ventura esse, credendum est, sed quibûs modîs, & quô ordine veniant, magìs tunc docebit rerum experientia, quàm nunc valet consequi ad perfectum, hominum intelligentia. Existimo tamen, quo à me commemorata sunt ordine, esse ventura.* En ultimô locô ponit S. Doctor conflagrationem Mundi & renovationem. *Neq; dicas.* S. Augustinum opinando fuisse locutum. *Respondeo enim cum P. Suarez.* Nec nos asserimus, hoc esse omnino certum, sed tanquam magni Ecclesiæ Doctoris opinionem, & probabiliorem illam eligimus. Neq; Augustinus in ea sententia videtur fuisse valde dubius: sæpiùs enim in eo libro, 20. illi sententiæ adhæret, & eâ utitur. ut cap. 16. *Judicatîs* (inquit) *hominibûs, tunc figura hujus Mundi, mundanorum ignium conflagratione præteribit, sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluvii.* Et cap. 18. *Quæret forsitan aliquis, si post factum Judicium, Mundus iste ardebit, antequam pro illo cœlum novum, & terra nova reponantur, eo ipso tempore conflagrationis ejus, ubi erunt Sancti?* & Respondet. Vel futuros in superioribus locis, quo non ascendet flamma illius incendii, vel etiamsi illuc perveniat, talia esse futura Sanctorum Corpora, utpote gloriosa, & cum dote impassibilitatis ornata, ut ab igne lædi nequeant.

Hanc Sententiam Divi Augustini docuit etiam S. Anselmus in suo Elucidario *Peractô* (inquit) *Judiciô, diabolus cum omnibus*

omnibus impiis, in stagnum ardentis ignis præcipitabitur; Christus verò cum Sponsa sua, id est, omnibus Electis, cum triumphali gloria, in Civitatem Patris sui, Cælestem Jerusalem revertetur. Et paulò post quærit: *Quid postea de Mundo erit?* Respondet: *Conflagrabit.* Eandem Sententiam tenet S. Prosper, In dimidio temporis ca: 1mo. & 20. priùs enim ibidem ponit Judicium, postea ignem conflagrationis. Item Julianus Pomerius, eximiæ Eruditionis Presbyter (qui floruit Annô Christi 490.) in Libro suo 3. Prognosticon cap: 46. & sequenti, in omnibus sequitur etiam Sententiam Divi Augustini superiùs annotatam. Nec non celebris Doctor Parisiensis, R. P. F. Leonardus Coquæus Eremita Augustinianus in Commentariis suis super Libros S. Augustini de Civit: Dei, item alii plures.

184. *Ad Confirmandam 2dam Responsionem* præter adductam Authoritatem trium Sanctorum Patrum, scilicet, Augustini, Anselmi, Prosperi. *Accedit & Ratio 2plex.* 1. Quia omnes Theologi dicunt, Mundum esse purgandum per ignem ex eo, quia hic Mundus, est veluti Templum Divinitatis, quod Deus ad suum honorem condidit & Sanctificavit; Templum hoc per infinita hominum & dæmonum peccata, per spurcitias horrendas, tot millibus annorum cùm fuerit coinquinatum, convenit, ut priusquam renovetur ad statum gloriæ, expietur: quæ expiatio, sicut olim tempore Nòé facta est per aquas diluvii, ita tunc futura per ignem, qui aptissimus est ad hunc effectum. *Bene est.* Verùm inde infertur. Ergo conflagratio Mundi non futura, nisi post peractum Judicium; siquidem ante Judicium finitum, damnati homines futuri sunt in hoc Mundo, suâq; præsentiâ & suis blasphemiis, iterum illam fædabunt. Donec ergo prorsus ab hoc Mundo sint pulsi, quod fiet in fine Judicii, non expedire videtur, ut Mundus per illam conflagrationem expurgetur. *2dà. Ratio est.* Quia juxta communem Sententiam, ille ignis repleturus est totum Mundum, & ascendet supra omnes montes altissimos. Ergo oportebit, vel omnes judicandos esse intra ipsum

ignem, vel explicari non potest sinè multis miraculis, (quorum multiplicationis, quænam urgens necessitas?) ubi nam toto illo tempore futurus sit.

Ignis, qui præcedet Judicem, quem habiturus effectum?

185. *Respondeo 3tiò. Ante faciem Judicis venturi ad illud Judicium, venturus est ignis, ut statim terreat damnatos, eosq; punire incipiat.* Ita P. Suarez cùm pluribus.

Probatur Authoritate Sacræ Scripturæ. dicitur Psal: 49. *Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu Ejus exardescet:* & Psal: 96. *Ignis ante ipsùm præcedet.* Isaiæ item 66. *Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ ejus reddere in indignationem furorem ejus.* & Joëlis 2. *Ante faciem Ejus ignis vorans, & post Eum exurens flamma.* Nec non S. Paulus 2. ad Thessal: 1mo: *In revelatione Domini Jesu de Cælo, cum Angelis virtutis ejus in flamma ignîs dãtis vindictam iis, qui noverunt Eum. Accedit.* Tum quia id videntur indicare illa verba Ecclesiæ. *Qui venturus est judicare sæculum per ignem.* Tum quia huic Responsioni favent Sancti Patres. Tum quia sicut Corpora Sanctorum, dum resurgent, exnunc incipient frui dotibus gloriosis, ita è contra damnati, statim pœnam sensûs etiam in corporibus suis experientur, & ab igne cruciabuntur, ideoq; necesse est, ut ante Judicem, ignis adveniat, qui saltem eum locum occupet, in quo erunt Corpora damnatorum.

186. *Nota hìc 1mò.* Cum P. Suarèz, statim post Resurrectionem hominum, mittendum hunc ignem, in ea tantùm quantitate, quæ sufficiat ad involvendos homines damnatos, Et occupandum totùm locum, in quo ipsi fuerint; in eaq; quantitate, loco, & actione permansurum, quamdiu duraverit Judicium: Eô verò finitô, multiplicabitur, & augebitur, ut universum Mundum possit comburere.

187. *Nota 2dò.* Ignis ille erit ejusdem Naturæ cum igne inferni; ad eundem enim effectum mittetur & assumetur, ut instrumentum Divinæ Justitiæ. Jam verò ignis inferni, corporeus est, ejusdemq; rationis cum elementari; Tum quia nullum est

grave

grave fundamentum, ignem illum diversificandi specie ab elementari; Tum quia, cùm Scriptura de igne illo loquitur, de re loquitur nobis nota, quam solemus voce *ignis*, significare; Aliàs esset magna æquivacatio, & vix posset à nobis intelligi, & exponi: quia pari ratione: cùm agit scriptura de calore, de aqua, de homine, posset aliquis rectè dicere, esse diversæ speciei futuros, à calore, aqua, & hominibus nostratibus.

188. *Nota 3tiò.* S. Thomas in 4. Dist: 47. censet illum ignem, quô Mundus est conflagraturus, producendum esse à Causis naturalibus, divino tamen imperiô supernaturaliter conjunctis, ad illum ignem generandum in terra vel in secunda àëris regione. Patri tamen nostro Suarez, videtur esse verisimile, illum ignem, qui antecessurus est judicium, producendum esse in secunda àëris regione divinô imperiô, ex vaporibus, quæ vel ibi erunt, vel adhunc finem eò ascendent, ut coram Judice, ille ignis, tanquam è Cælo missus, descendat usq; ad locum, in quo omnes reprobi judicandi sunt, inquo loco quietus manebit, quamdiu Judicium durabit, finitô autem judiciô, & apertâ terrâ, detrusîsq; in infernum damnatîs, ille ignis magno impetu commovebitur: Unde fiet, ut velocissimè omnia inflammet, & vehementer exardescat. Ad quod etiàm juvabunt Astrorum influentiæ, & fortè etiam concurrent Angeli applicantes illi igni materiam ad combustionem facilè dispositam.

Quænam illius Causa productiva?

QUÆSTIO II.

An & qualiter Mundus renovandus?

189. R*Espondeo imò. Mundus certò est innovandus: fietq; hæc innovatio peractô jam judiciô.*

Mūdus renovabitur post Judicium.

Prima Pars Responsionis constat ex Scriptùra Sacra. Jsaiæ enim cap: 65. legitur. *Ecce ego creo Cælos novos & terram novam,*

& non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor: Tanta enim erit illorum pulchritudo, ut priora pro nihilo habeantur. Et 2da. Petri 3tio. *Novos Cælos & novam terram, secundùm promissa ipsius exspectamus, in quibus justitia habitat.* Et Apocalip: 21. *Vidi Cælum novum & terram novam; primum enim Cælum & prima terra abiit.* Quæ loca, juxta expositionem Sanctorum Patrum unanimem, intelligenda sunt, de Corporibus Cæli & terræ, & de Sensibili eorum innovatione, futura in fine Mundi. Id ipsum confirmat & Ratio, Mundus enim est propter homines, præsertim Electos, juxta illud S. Pauli 1. ad Corinth: cap: 3. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi.* Siquidem ergo status Electorum hominum est innovandus, & perficiendus, juxta dicta in 4ta Disputatione; decet proinde ut etiam hic Mundus innovetur.

Secunda etiam Pars Responsionis Probatur Authoritate Patrum. S. Augustinus Lib: 20. de Civit: Dei. cap: 14. ait *Peractô judiciô, tunc esse desinet hoc Cælum, & hæc Terra, quando incipiet esse Cælum novum & Terra nova.* Idem docet S. Anselmus in suo Elucidario. Et Julianus Pomerius in Libro 3tio Prognosticon, cap: 47. & 48. *Accedit & Ratio.* Tum quia, per impiorum & damnatorum præsentiam, quodammodò fœdatur Mundus. Ergo non expedit, ut renovetur, nisi postquam præcipitati fuerint in infernum omnes damnati. Tum quia non videtur convenire, ut damnati, etiam ad breve tempus fruantur pulchritudine Mundi innovati.

190. *Respondeo 2dò. Innovatio hujus Mundi, non fiet per annihilationem Corporum Cælestium; Nec fiet per interitum Elementorum, ut in locum eorum, producantur Substantiæ aliæ novæ præstantioris perfectionis.* Ita communissimè Doctores Scholastici cum S. Thoma & Patres præsertim Latini.

Quomodo futura Corporũ Cælestium & Elementorum innovatio?

Probatur imò. Authoritate Sacræ Scripturæ. S. Paulus ad Rom: Cap: 8. dicit. *Creaturam omnem esse Subjectam vanitati & servituti*, & sub hac servitute *ingemiscere, & parturire.* Patet autem, quòd ibi Sanctus Paulus non loquatur de hominibus, sed de in-

de inanimatis corporibus, quæ homini inserviunt. Ergo saltem intelligit Corpora cælestia, & Elementa, ex quibus hic Mundus essentialiter constat, & in eis, quasi in semine, cætera continentur. *Subsumo.* Sed si cælestia corpora,& elementalia, secundùm Substantiam suam essent interitura, non ingemiscerent nec parturirent, exspectantia illum statum; nihil enim appetit suum interitum. Ergo perpetuò duratura sunt,& non annihilanda. *Accedit.* Quia Psalmô 248. dicitur de sole, Luna, Stellis, Cælis & aquis quæ super Cælos sunt. *Statuit ea in æternum,& in sæculum sæculi.* Et Ecclesiastæ 1mo. *Terra in æternum stat.* Et Ecclesiastici cap: 3tio. *Cognovi, quòd omnia, quæ fecit Deus, ipsa erunt in æternum.* Scilicet, quò ad Corpora Cælestia & Elementaria.

Probatur 2dò. Authoritate Sanctorum Patrũ. S. Augustinus Lib: 20. de Civit: Dei, cap: 14. *Peractô* (inquit) *Judiciô, tunc esse desinet hoc cælum,& hæc terra, quando incipiet esse Cælum novum, & terra nova: Mutatione namq; rerum, non omnimodo interitu transibit hic Mundus; unde & Apostolus ait. Præterit enim figura Mundi hujus. Figura ergo præterit, non natura.* Sanctus item Hieronymus in caput 65. Isaiæ. *Novos Cælos & novam terram videbimus. Non dixit Petrus: alios cælos & aliam terram, sed veteres & antiquos in meliùs commutatos.* Idem asserunt & alii plurimi Patres cum Sancto Thoma.

Accedit ad Responsionis Confirmationem. Quia omnes ferè consentiunt Theologi & Patres, Cælestia corpora & terram, non esse annihilanda. Siquidem sat clarè videtur asserere id Scriptura Sacra. De àëre verò & igne, quòd non sint interitura, licèt nihil clarè asserat Scriptura Sacra, tamen etiam non negat esse permansura semper. Insuper Videtur necessarium esse, àërem permansurum: quia tam ingens spatium inter Cælum & terram interjacens, non est futurum inane & vacuum. Ergo replebitur àëre: cùm nullũ sit aliud corpus accomodatius, quô repleri possit. Ignis item cùm sit perfectior reliquis Elementis, videtur exigere, ut, siquidem alia permansura sint. ipse etiam non intereat.

Nequè Dicas. Utiq; Psalmo 101. dicitur. *Ipsi* (id est Cæli) *peribunt; Tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.* Et Apocal: 21. legitur. *Mare jam non est.* *Respondetur* enim. Textus primus intelligendus est de interitu Cælorum, secundùm externam speciem, non secundùm substantiam; colligitur id ex iisdem verbis, ; vestis enim & operimentum, quod invertitur, non mutatur quò ad Substantiam, sed tantùm quò ad externam speciem. Veterascet Cælum in fine Mundi: Sol enim obscurabitur, & fiet niger: Luna sangvineo colore suffundetur. Similiter intelligenda sunt illa Domini verba. Matth: 24. *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*: vel etiam. Priùs illa deficient, quàm Verba mea. Textum secundum allatum, nempe; *Mare jam non est.* exponit S. Augustinus Lib: 20. de Civit: Dei, cap: 16: Non debere intelligi de ipso aquæ elemento, sed de hoc *sæculo vitæ mortalium, turbulento & procelloso, quod Maris nomine figuravit*, S. Joannes. S. verò Anselmus, Divus Thomas & alii, dicunt intelligendum esse de Mari, quale nunc est, scilicet impurum per admixtionem qualitatum alienarum.

191. *Respondeo 3tiò. Corpora Cælestia, tunc, innovabuntur & perficientur per magnum quoddam Lucis, & claritatis incrementum: Corpora verò Elementalia innovabuntur tum per ablationem omnium sordium, quæ sunt præter naturam Elementorum; tum per additionem Claritatis, & Lucis.* Ita Patres & Theologi. Probariq; id solet, illis verbis Jsaiæ 30. *Erit Lux Lunæ, sicut Lux Solis: & Lux solis erit septempliciter, sicut Lux septemdierum.* Quem locum, S. Hieronymus & alii passim Doctores intelligunt ad Literam de hac innovatione, inqua lux Lunæ, instar Lucis solaris erit, quæ nunc est, & Lux Solis, septuplô major, quàm sit modò: ut indicant illa verba. *Sicut Lux septem dierum*, id est, Lux septem dierum in unum collecta, seu lux septuplum aucta Et Divus Thomas in 4. Dist: 48. Articulo 2. dicit. *Erit terra in*

exteriori superficie, clara, sicut vitrum; aqua sicùt Crystallus, àër, ut Cælum; ignis ut Luminaria cæli; vel etiam multò excellentius.

Confirmatur Responsio. Quia talis corporum Cælestium, & elementalium splendor ac decus, conducet plurimùm ad finem, ob quem Mundus innovandus est, scilicet, ut Beati in suis corporibus, usu etiam oculorum videant aliquomodo pulchritudinem Dei translucentem suo modo in corporibus, non solùm glorificatis ipsorum, scilicet Beatorum, verùm etiam in cælestibus, & elementalibus. Ita enim tunc maximè verificabitur illud Sapientiæ cap; 13. *A magnitudine speciei, cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* *Accedit.* Quia tali ratione in claritate tunc conformari conveniet inferiora corpora superioribus, sicut conformabuntur in gloria homines Angelis, tanquam Creaturæ intellectuales inferiores, superioribus: juxta illud Matthæi 22. *Erunt sicut Angeli Dei in Cælo.*

192 *Nota 1.* Richardus in 4. Sententiarum. Dist: 48. Artticulo 2. quæst: 5. asserit: Lucis illud, & Claritatis incrementum in Corporibus Cælestibus, proventurum à reflexione Lucis Corporum Beatorum; sed Patri Suarez, meritò videtur probabiliùs, illud Lumen, divina virtute esse efficiendum in Corporibus cælestibus, sinè dependentia à Corporibus Beatis; aliàs, quoties Beatorum Corpora magìs vel minùs distarent à diversis Cæli partibus, magìs etiam, vel minùs eas illustrarent: quod non videtur consentaneum. Dabitur ergo (inquit) illa claritas Cælo & astris per modum proprietatis intrinsecæ ac permanentis ad eum modum, quô humanis corporibus gloriosis, claritas gloriæ tribuetur; Sic enim & major erit proportio inter locum, & locatum: & in ipsissmet Cælis, magìs relucebit Divina virtus, & quasi vestigium, quoddam gloriæ, & claritatis illiùs.

193. *Nota 2dò:* Consentiunt Theologi, à Cælestibus Corporibus & Sideribus, in quibus tanta fiet accessio lucis, derivandam esse magnam claritatem etiam in Elementa: scilicet, in ignem, àërem, *Terræ profund tas an illuminanda?*

àërem, & aquam, ut pote quæ ex ſua natura ſunt diaphana: imò & terram illuminandam, quò ad ultimam ſuperficiem, quâ àërem vel aquam contingit; Controvertitur tamen, an ita ſit illuminanda terra, ut etiam ejus profunditas, futura ſit perſpicua, uſq; propè infernum. Pro Parte Negativa affertur Ratio hæc. Quia ex una parte, terra eſt denſa, adeoq; non capax luminis, & claritatis in ſua profunditate. Et ex altera parte; quamvis Deus poſſit, abſolutè loquendo, etiam illius profunditatem illuminare, tamen nulla videtur neceſſitas hujus miraculi. Pro Parte Affirmativa, ſolet dari Ratio hæc. Quia exceptô præcisè illo loco, qui neceſſarius eſt ad pœnas & tenebras damnatorum, videtur convenire, ut omnia alia ſint pervia oculis Beatorum, ut ſic eorum claritate & pulchritudine delectentur excitenturq; ad DEI laudem. Et Paludanus in 4 Diſt. 48. Quæſt. 1. aſſerit, illuminandam eſſe terram in profundo uſq; ad limbum puerorum incluſivè, qui cum peccato Originali deceſſerunt. Ingens enim eorum eſſet pœna ſi reſumptîs corporibûs, in tenebris ſemper verſarentur. Egò cum P. Suarez cenſeo utramq; partem eſſe probabilem. Non aſſentior tamen Paludano aſſerenti, pueros illos poſt judicium futuros ſemper in loco ſubterraneo licèt lucido. Mihi placet hac in parte, Patris noſtri Alphonſi Salmeronis ſapientiſſimi Theologi, & aliorum favorabilior Sententia, de qua infra numerô 198.

QUÆSTIO III.

Reſpondetur ad varia Quæſita concernentia innovationem Mundi, ejusq; poſtea Statum.

194. QUæritur imò. *Certumne eſt, per ignem, quô conflagraturus eſt Mundus, omnia mixta corpora, animalium & plantarum eſſe comburenda?* *Reſpondetur affirmativè.*

Animalium

Sanctus

Sanctus enim Petrus id expressè asserit in sua 2da Epistola, cap: 3. *Terra* (inquit) *& omnia quæ in ea opera sunt, exurentur.* Idq; prædictis verbis Scripturæ insundati, docent omnes Scholastici Doctores & Commentatores Sacræ Scripturæ. Unde (ut ait P. Suarez) temerarium esset id negare. *Accedit.* Quia Scriptura in pluribus locis. ut Jsaiæ 65. Apocal: 21. 2. Petri 3. tantùm, indicat, Cælum & terram (atq; adeò reliqua *Elementa*, quorum eadem est ratio) tunc innovanda esse.

& Plantarū corpora mixta comburentur.

195. *Quæritur 2dò. Post conflagrationem Mundi, cùm innovabuntur Corpora Cælestia & Elementalia, producenturne postea aliqua corpora mixta?* Respondent communiter Theologi Classici in 4. Dist: 48. Nec non Doctor Angelicus & Doctor Seraphicus, Item S. Antoninus, post innovationem Corporum Cælestium & elementorum, nullà ampliùs futura in Mundo Animalia, nullas plantas, arbores nulla mineralia & alia corpora mixta.

Post innovationem Mundi, probabiliùs est non producenda ulla corpora mixta.

Probari id solet multipliciter. 1. Quia omnia Corpora mixta secundùm totam naturam suæ speciei, sunt corruptibilia; In illo autem statu liberabitur Creatura à servitute corruptionis; & ideo non debet manere nisi illud, quod aliquomodo saltem est incorruptibile, ut sunt Corpora Cælestia, quæ in Sententia communissima sunt ex toto incorruptibilia. Item Elementa, quæ licèt nunc secundùm partes corrumpantur, tamen secundùm latitudinem totam Naturæ suæ, nec corrumpuntur, nec naturaliter corrumpi possunt. Dicere autem plantas aut animalia esse perficienda dote incorruptionis modô aliquô supernaturali, voluntarium est, & sinè fundamento gravi. Unde S. Gregorius Nyssenus Lib: 1mo de Philosophia cap: 3tio. asserit, Proprium esse hominis inter alia omnia animantia, immortalitate donari: *Hoc autem* (inquit) *propter immortalitatem Animæ assequitur.* 2dò. Quia ferè omnia mixta referuntur ad sustentationem vitæ hominum per nutritionem, & generationem, ut constat ex Genesis cap: 1mo. *Replete terram, & subjicite eam, & Dominamini piscibus*

ni piſcibus maris, & volatilibus Cæli, & Univerſis animantibus. Ecce dedi vobis omnem herbam, ut ſint vobis in eſcam. Et Geneſis cap: 9. *Omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia.* Iam autem tunc non erit opus hujuſmodi ſuſtentatione vitæ hominum: Non enim erit tunc animalis vita in homine. Ergo nec animalia, nec plantæ remanere debent. Ceſſante enim fine, ceſſare debet id, quod eſt, ad finem. *3tiò.* Motus Cæli & Siderum Cæleſtium (ut oſtendetur infrà) ceſſabit tunc, eorumq; actio in hæc inferiora; jam verò ſinè actione Cæli, mixta corpora neq; generari, neq; conſervari & ſubſiſtere poſſunt. Quare & Ariſtoteles in Lib: 2do de Generatione docet, in animalibus, & plantis, & hujuſmodi corporibus, ſpeciei perpetuitas non conſervatur, niſi ex continuatione motûs Cæleſtîs.

196. *Quòdſi in Contra dicatur imò.* Animalia & plantæ, ut pote Entia viventia, ſunt perfectiora & nobiliora, quàm Elementa, ut pote Entia inanimata. Ergo ſi manebunt elementa, multò magìs debent animalia manere, & plantæ. *Reſponderi ſolet cum Divo Thoma.* Quòd quamvìs animalià & plantæ, quantùm ad aliqua, ſint nobiliora, quàm ipſa Elementa; tamen quantùm ad ordinem incorruptionis, Elementa ſunt nobiliora, ut ex ſuprà dictis colligitur. *Quòdſi dicatur 2dò in contra.* Convenit, ut maneant plantæ & animalia ſaltem nobiliora, idq; ex eo; ut Beati, ea oculîs ſuis corporeis videndo, oblectamentum inde etiam capiant. Reſponderi ſolet, cum P. Suarez, Multò pulchrior, & delectabilior aſpectus eſſe poterit in terra, ex aliis Elementis, eximiâ claritate & Splendore affectis. Erit enim facilè Deo id efficere cum ea varietate & pulchritudine, quæ mirum in modum, viſum delectet, alioqui etiam propter delectationem odoratûs, poſſent in eo ſtatu flores ſeu roſæ evelli, & dividi & contrectari, & alterari, ut meliùs odorem efflarent, aut multa alia miracula multiplicanda ſunt, ut hæ res futuræ ſint omnino incorruptibiles.

197. *Quæritur 3tiò. Estnè omnino improbabilis opinio eorum, qui opinabantur vel opinantur, Saltem aliqua Corpora mixta producenda esse, post innovationem Corporum Cælestium & Elementorum?* *Respondeo cum Patre Suarez Negativè. Probatur.* Quia hanc Sententiam vel opinionem tenuit Sanctissimus & Doctissimus Anselmus in suo Elucidario: postquam enim explicavit innovationem Superiorum Corporum, sic de terra scribit. *Terra, quæ in gremio suo Domini Corpus confodit, tota erit ut paradisus. Et quia Sanctorum Sangvine est irrigata, odoriferis floribus, rosis, violis, immarcescibiliter, erit perpetuò decorata.* Et Gvilielmus, Episcopus Parisiensis (qui floruit Annô Christi 1240. Vir addmodùm pius & doctus, plurimorumq; doctissimorum Librorum Scriptor) habet hæc. *De terra, quidam ex Sapientissimis Christianorum, dixerunt, quòd graminibus semper virentibus, & immarcescibilibus floribus, ac perpetua amænitate, instar paradisi terrestris, sit decoranda.* Hæc ejus verba refert Dionysius Carthusianus (Vir Sanctitate & doctrina præstantissimus, qui vixit in Ordine Carthusiano, Annos 48. Obiit Annô salutis 1471. ætatis suæ 69.) in 4. Lib: Sent: Dist: 48. Idem tamen Gvilielmus, dicit, Animalia & vegetabilia ac metalla esse tunc comburenda, & non ampliùs futura. *Responsio nostra Confirmatur.* Multùm probabilè est, futuros in inferno non metaphoricos, sed propriè veros vermes, & sulphurem, & alia similia Corpora mixta, ad Corpora damnatorum crucianda. Ergo etiam probabilè est, futura esse aliqua Corpora mixta in hoc Mundo, ad ejus perfectionem, & ad gloriam Beatorum accidentalem augendam. Antecedens patet. Quia id asserunt Plurimi Sancti Patres; ut Augustinus, Basilius, Prosper, Anselmus, Cyrillus, Chrysostomus, &c. Item Innocentius tertius, Theophilactus, P. Gregorius de Valentia. Pater Serarius, quos citat Noster Cornelius à Lapide in Caput 66. Jsaiæ, eorumq; Sententiam sequitur, & defendit sat solidè, etiam Authoritate plurimorum textuum Sacræ Scripturæ, & aliis Rationibus

Id tamen non est omnino certum.

Probabile est, Infantes qui in solo peccato Originali decesserunt, futuros in superficie terræ innovatæ.

198 *Quæritur 4tò. Estne Probabilis Sententia asserens in terræ innovatæ superficie, futuros esse homines? Respondeo.* Probabile est: futuros super terram infantes & pueros, qui in solo peccato Originali, ex hac vita decesserunt. *Ratio est.* Quia id videtur consonum Divinæ Bonitati, ut ferè innumerabilis illa multitudo ejusmodi infantium & puerorum, quam Deus ad Suam imaginem condidit, & nullâ propriâ culpâ Deum offendit, ut inquam hæc multitudo obtineat ea, quæ excellentiæ ipsius Naturæ, sunt consentanea: & sic in superficie innovatæ terræ Existens, contemplando Cælum, sidera, & alià Elementa, ex cognitione eorundem, & sui, Authorem sui, & Mundi totius cognoscat, naturali & humanæ Naturæ modo accomodato; Eumq; cognoscendo amet & laudet in æternum.

Confirmatur Responsio, 1mò. Quia Illam Sententiam saltem esse probabilem, censent Theologi gravissimi multi, inter quos, sunt Ambrosius Catharinus, ex Sacro Ordine Prædicatorum, Archiepiscopus Compsensis, Pater Salmeron (fuit is unus ex decem primis Patribus Societatis Jesu, & Summorum Pontificum Theologus ad Concilium Tridentium) P. Suarez. P. Lessius. Nec quidquam affertur, per quod improbabilis redatur hæc Sententia.

Confirmatur 2dò. Subtilis Doctor Scotus in Dist: 33. Quæst: 1. Probabile censet, ejusmodi iufantes & pueros, *omnium rerum naturalium cognitionem habituros longè majorem, quàm omnes Philosophi habuerunt* Et Doctissimus Nicolaus Lyranus, (qui ex Judaismo conversus ad fidem Christianam, & Sacro Ordine Minorum assumpto, conscripsit multa doctissima Volumina, Floruit Annô 1320.) in caput 4. Ecclesiastæ, explicans illud. Et *Judicavi utroq; feliciorem, qui necdum natus est.* dicit: *Ejusmodi infantes & pueri habituri sunt vitam jucundiorem, quàm in hoc Mundo naturaliter haberi possit, & ita Sentiunt omnes Doctores.* Ergo saltem probabilè est, eos non futuros in aliquo specu subterraneo, sed in superficie terræ. Vide etiam dicta supra in Disputatione 4ta, Numerô. 162. & seq: 199. *Quæ-*

199. *Quæritur 5tò. An in fine Mundi, Motus Cæli, & Corporum Cælestium, ut Solis, Lunæ, Astrorum, quiescent, nec jam ampliùs movebuntur? Respondent Theologi ferè omnes cum S. Thoma, Affirmativè.* *Motus Cæli cessabit.*

Probatur id à Divo Thoma in Supplemento 3. p. Quæst: 91. Articulo 2. Ex eo. Quia Jsaiæ 60. versu 20. legitur. *Non occidet ultra Sol tuus, & Luna tua non minuetur.* Sed Occasus Solis Et diminutio Lunæ, ex motu Cæli causatur. Ergo motus Cæli & Cælestium Siderum in fine Mundi cessabit. Item Apocal: 10. Angelus *levavit manum suam ad Cælum, & juravit per Viventem in sæcula sæculorum, qui creavit Cælum, & ea quæ in eo sunt. Quia tempus non erit amplius.* Scilicet, postquam septimus Angelus tubâ cecinerit, qua canente mortui resurgent, ut dicitur 1. ad Corinth: 15. Sed si non est tempus, non est motus Cæli. Ergo motus Cæli cessabit.

Probatur 2dò. Quia in fine Mundi nulla est necessitas illorum motuum; Solùm enim sunt, in ministerium hominum, quamdiu generationibus, & Corruptionibus Subjecti sunt, ut dicitur Deuteronomii cap: 4. versu 19. *Creavit Deus Solem & Lunam & omnia astra Cæli in ministerium cunctis gentibus, quæ sub Cælo sunt.* Et Genesis 8. Indicavit Deus duraturas vicissitudines temporum per motum Cæli, corporum cælestium, quamdiu est necessarius hic motus ad usum & propagationem hominum. *Cunctis* (inquit Deus,) *diebus terræ sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies non requiescent.*

Porro Divinâ Providentiâ fiet, ut quando Cœli quiescent, astra omnia ita maneant dispsita respectu totius Universi, ut utrumq; hemisphærium & omnes Universi partes perfectissimè illustrentur.

Quæritur 6tò. Cessatio illa Cœli, futurane naturaliter? Respondet Divus Thomas. Futuram supernaturali DEI Virtute: Cœlum enim, utpote naturâ circulare, non habet majorem proportionem cum uno loco & situ, quàm cum alio; Est item naturalis

ralis inclinationis ad manendum & quiescendum in uno aliquo situ, & loco.

Et probabiliùs non antè sed post Judicium, motus Cæli Cessabit.

200. *Quæritur ultimò. Quandonam Cessatio motûs Cœlestîs futura est: An ante, an post Judicium Universale?* Respondet P.Suarez. Multi Theologi sæpè asserunt, Motum Cæli cessaturum ante Judìcium, statim, ac omnes homines morientur, vel saltem in puncto Resurrectionis: quod est probabile. Quia tunc jam cessabit necessitas generationum, & corruptionum, ad quam motus Cæli ordinantur. Nihilominus (inquit ille) magìs nobis probatur, Motum cessaturum, post Judicium, idquè ex eo. *imò* Quia eadem est ratio de cessatione hujus motus, & de reliqua purgatione, & innovatione Mundi, nam hæc est quædam pars illius novitatis, & instaurationis, quam omnes Sancti dicunt futuram post Judicium. *2.* Quia usquè ad illud tempus fient in Elementis motiones violentæ, & alterationes, & mixtorum corruptiones. *3.* Quia non expedit, ut ante Mundi instaurationem cesset vicissitudo dierum ac noctium, quæ tunc solùm cessabit; *Quandò Dominus fuerit nobis in Lucem sempiternam, & complebuntur dies luctûs.* ut dicitur Isaiæ 60. Rationes adductæ conjunctim sumptæ, merentur, ut Patris Suarez Sententia de cessatione motûs Cæli modò primùm post peractum Judicium futura, esse probabilior censeatur. quàm opposita Sententia. Per hanc quietem, & cessationem motûs, acquirent cœlestia Corpora quendam statum, similiorem DEO, qui est prorsus mutationis expers,

Ad Cujus Majorem Gloriam refero Omnes & singulos huius Libri apices; Universa autem humana (si quæ hinc haberi possunt) solatia deleo, ac oblitero hâc ipsâ pennâ, quâ nunc hunc Librum finio.

INDEX

INDEX

Rerum notabiliorum quæ in hoc Libro continentur.

A.

Cicatrices

Gloriam

I.

Opinio

O.

P.

Signum

S.

T.

U.

Verborum

Verborum horum. *Venturus est judicare vivos & mortuos.* quisnam est sensus? *fol.* 99. *num.* 114.

Vermes eruntne veri in inferno post Judicium? *fol.* 171. *numerô* 197.

Menda quædam Typothetica sic emenda.

Pagina 27. versu 17. Lege. collocaturus. *ibidem* v. 20. L. Lombardus. *ibidem* v. 26. L. Cassiodori. *ibidem* v. 29. L. vivebat. p. 75. v. 29. L. Origenis. p. 80. v. 20. L. Reges. p. 91. v. 7. L. rediremus. p. 93. v. 6. L. confirmandam. p. 95. v. 2. L. redituras. p. 101. v. 31. L. ad illustrandam. p. 102: v. 4. L. resuscitari. p. 103. v. 14. L. ignorantia. p. 104. v. 23. L. præeuntis. p. 137. v. 19. L. amplectuntur. p. 139. v. 13. L. obmurmurabunt. p. 143. v. 30. L. Sacræ. p. 144. v. 2. L. universali. p. 151. num. 28. L. illum.